



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**DE TRIBVS BONORVM || operum generibus,||
ELEEMOSYNA,|| IEIVNIO ET ORATIONE;|| de que eorundem
operum vi, vsu, & || ratione, LIBRI TRES,|| AVCTORE ||
THEODORO PELTANO SO-||cietatis IESV Theologo.|| AD ...**

Peltanus, Theodor Anton

Ingolstadii, 1580

Capitvm Omnivm Et Singvlorvm Libri de Ieiunio synopsis. [Liber
Secvndvs.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46891](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46891)

DE IEIUNIO, ET
CIBORVM DELECTV
LIBER SECVNDVS.

Ieiunium cum abstinentia non rectè confundi, rectè autem in liberum & necessarium; & hoc rursus in naturale, Mosaicum & Ecclesiasticum deduci.

CAPVT PRIMVM.

INTER causas ad peccatum prouocantes, primas facile obtinet carnis concupiscentia. Alletat huc etiam auaritia, vitæque superbia; sed & multos quoque tranuersos agit ignoratio: Verùm quò carnis sensus homini iam inde ab inuente ætate est familiarior, (nam vnà cum ipso exortus ad vltimum vsque vitæ halitum perstat, materiamq;, quo nutriatur, nusquam non obuiam habet) eò ad alliciendum, obtinendamque de antagonista victoriam est potentior. Quare sancti Patres secundùm diuinas literas ad nihil eque frequenter hortantur fideles, ac ad carnis mortificationem, motuumq; eiusdem compressionem.

PORRO autem inter ea, quæ ad refrenandum carnis sensum faciunt plurimùm, multi non absq; ratione ieiunio principatum deferunt. Nam etsi vigilia, asper vestitus, externus corporis labor, aliæque id genus complura carnis petulantiam coërceant: non eo tamen successu & vi, qua continuata ieiunia. Quocirca licet Paulus, Antonius, Hilarion, cæterique eremi cultores, quæ iam attingi, non negligerent: ieiunium tamen tanquam validissimum aduersus omnem Diaboli carnisque insultum præsidium, in prima semper acie collocabant; nihilque perinde, atque ieiunium ad Monachi professionem pertinere prædicabant, viuoque exemplo confirmabant: Imò verò qui assiduo ieiunio se non macerarent, eos Monachi appellatione vix dignos censabant.

Inter causas ad peccatum prouocantes, primas tenet carnis concupiscentia.

Nihil carnis petulantiam æquè comprimit, atq; continuatum ieiunium.

R QVIN

In primitiua Ec-
clesia frequēs ie-
iuniorum vsus.

Lib. de vit. cont.

QVIN in primitiua Ecclesia quoque non apud eos solum, qui secundum Ecclesiastici iudicis arbitrium priuata vel publica poenitentia multabantur, solennis & frequens admodum erat ieiuniorum vsus, sed apud eos quoque, qui publica poena nihil dignum admiserant. Temperantia, scribit Philo, tanquam fundamento in anima facto, virtutes ceteræ superstruuntur. Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante solis occasum. Nonnulli ex illis vix tertio quoque die famem sentiunt. Nec desunt, qui prælauro excepti epulo sapientiæ, perdurant duplum eius temporis, & vix sexto die degustant cibum necessarium, asueti, sicut cicadæ rore viuere, canticis solari in ediam. Hæc ille de Christianis Alexandrinis Marci primi ciuitatis illius Episcopi discipulis: fitque verisimile, aliis locis & ciuitatibus idem præstitisse alios. Sed hac ipsa quoque ætate, qui rebellantem spiritui carnem ferio edomare cupiunt, ad ieiunium & abstinentiam veluti ad sacram anchoram sese recipiunt. Ieiunium itaque inter mortificationis instrumenta arcem tenet.

Non sunt idem
ieiunium & ab-
stinentia,

Ieiunium non
omnes, abstinen-
tia omnes obli-
gat.

Matth. 9.
Marc 2.
Lucæ 5.

PORRO autem licet ieiunium & abstinentia circa eandem materiam versentur, & vnum alterius nomine sæpe designentur, non idem tamen prorsus est ieiunium, quod moralis abstinentia. Qua in re ætatis huius sectarij hallucinantur maxime: docent enim, idem omnino esse ieiunare, quod sobriè, naturæque conuenienter viuere; quod est vanissimum, & à Scripturæ sententia alienissimum. Constat namque, abstinentiam æque atque temperantiam, nullum non hominem ad sui culturam & obseruationem perpetuò obstringere: Quandoquidè vt nulli vnquam fas est intemperanter viuere; ita nulli quicquam vnquam, quod cum vera abstinentia pugnet, admittere. Nunquam enim plus comedere aut bibere licet, quam vel recta ratio dicat, aut naturæ necessitas postulat. At verò ieiunium neque omnes obligat, neque semper obligat, sed suo tempore & loco quosdam tantum. Certum est æque, CHRISTVM Dominum, sanctosque eiusdem Apostolos, nec non innumeros ante & post illos alios sobriè naturæque conuenienter vixisse semper, neque semper tamen ieiunasse. Nam si Apostoli semper ieiunassent, CHRISTVS nunquam diciturus erat: *Auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt.*

Est

EST autem ieiunium, vt hic de ieiunio loquimur, & deinceps locuturi sumus, proprius abstinentiæ actus, vel peculiaris quidam abstinentiæ modus. Paucis, ieiunium est eiusmodi abstinentia, qua quis ad præfinitum diem, vel ad certam diei horam ab aliquibus, vel ab omnibus abstinet. Triduum integrum ab omnibus abstinuiffe leguntur Niniuitæ amplissimæ ciuitatis, excidium ob Ionæ comminationem veriti. Ad vesperam vsque Israelitæ, in Silo fratrum suorum cladem deplorantes, & quid factum opus in posterum, Dominum consulentes. A quibusdam Daniel: *In diebus illis, ait, ego Daniel iugebam (hoc est, ieiunabam) trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, caro & vinum non introierunt in os meum &c.*

Cuiusmodi abstinentia ieiunium.

Ionæ 3.
Iudi. 20.

Dani. 10.

AT quia non vno animo, nec vna de causa ab aliquibus, vel ab omnibus abstinent omnes; sed alij alio: fit, vt non omne ieiunium meritum apud DEVM habeat. Ieiunant, exempli gratia ægri, quod cibum fastidiant; Inopes, quod alimenta, quibus se alant, nulla sæpe ad manum habeant; Auari, quod parcus sumptus faciant; Læmargi ventricæ & gulæ dediti, quod maiori postea auiditate & voluptate liguriant; Hypocritæ, quod sanctimoniam, quam non habent, opinionem apud imperitam turbam sibi comparent. Ieiunant tandem pij homines, quod vel scelerum vestigia inducant, DEO QVE & Ecclesiæ satisfaciant; aut quod insurgentes inordinatos carnis motus, ieiuniorum vi comprimant; aut vt diuino cultui obeundo aptiores sese reddant; aut certè quod legi de ieiunio latæ pareant. Et hi soli ritè, & nisi peccatum grauius aliquod obstet, meritoriè ieiunant.

Varie abstinentiæ causæ, diuersiq; abstinentium finis.

Hoc piorum hominum ieiunium, (reliqua enim ieiunij appellationem non merentur) missis pluribus diuisionibus, quæ à materia, vel ab auctore, vel à tempore, vel à loco, vel à persona ieiunante, vel à causâ petita prolixè à quibusdam tractantur & explanantur, in necessitatis & supererogationis siue in deuotionis & institutionis ieiunium deduci potest. Supererogationis ieiunium illud hic nunc breuiter vocamus, (postea enim accuratiùs ea de re disputabitur) quod sponte, nulla lege cogente, aut præcepto vrgente, suscipitur. Necessitatis verò,

Duplex ieiunium, necessitatis vni, supererogationis alterum.

R 2 quod

quod secundum legis præscriptum, aut superioris mandatum, aut patriæ consuetudinem exigitur præstaturæ. Neque enim solum leges, sed laudabiles quoque consuetudines suam in vtroque foro vim obtinent.

IEIUNIVM supererogationis æquè latè patet atq; causæ, quæ ad hoc inuitant; hæ autem patent latissimè. Ieiunium necessitatis legum, ex quibus ortum & robur trahit, numerum imitatur. Lex autem generatim accepta in naturalem, Mosaicam; & Evangelicam secerni solet. Quare si quod extat vel extitit quandoque ieiunium non liberum, hoc ad aliquam trium istarum legum pertineat oportet. Mosaicæ legis nomine id totum hîc comprehendimus, quod veteri lege vim adhuc obtinente, apud Iudæos receptum erat: siue id proximè natû & promulgatum esset per Moysen; siue per quemcunque alium in Moyfi Cathedra sedentem. Idem de Evangelica lege statuatur quoque. Neque enim id solum Evangelicum dici consuevit, quod CHRISTVS per se docuit aut iussit, sed id etiam, quod per suos Apostolos, legitimisque eorundem successores Christiano orbi proposuit. Vniuersè ergo triplex est ieiunium, naturale legisue naturæ, Mosaicum, & Evangelicum, hoc est, Ecclesiasticum.

Triples lex, legisque sanctio.

Triples in vniuersum ieiunium.

Ieiunium naturæ bifariam accipi potest.

Ieiunia, quæ natura vel recta ratio dicitur, nunquam non obligant.

IEIUNIVM legis naturæ, quatenus maiorum traditione, vel aliqua patriæ consuetudine apud illius ætatis homines statuti vel legis vim obtinebat, iam non obligat. Verùm si quod ieiunium naturæ lex absolutè accepta, vel recta ratio dicitur, illud non minori obligandi vi nunc pollet, quàm mundi nascentis tempore. Certum est enim, si eiusmodi animi vel corporis morbo labores, qui citra ieiunium sanari non queat, æquè tibi abstinentum esse, atque si Ecclesia commune aliquod ieiunium indixisset; Nemini enim seipsum perdere licet. Perdit autem, qui ab interitu, à quo tueri se poterat, & tueri se quoque debebat, se non tuctur.

AT verò statim aliqua apud præfatos illos Patres ieiunia, ante Moyfi principatum fuerint recepta, id certò non constat: Siquidem Scripturæ & veterum monumenta nihil, quod apertum sit satis, ea de re produnt. Fit nihilominus admodum verisimile, ut suos illi, qui legem antecesserunt, sacros habebant ritus, sua Sacramenta & sacrificia; ita suas quoque habuisse ieiunationes:
Habe-

Habebant enim easdem ieiunandi causas, quas nos nūc habemus, & forte maiores. Præterea cū ea ætate multi essent magnæ perfectionis & sanctitatis viri, non fit credibile, tantæ perfectionis organum, quantum est ieiunium, aut ignorasse, aut neglexisse. De eo autem naturæ ieiunio, quod omnem cibi potusq; vsum excludit, alioq; nomine ieiunij ieiunium appellari cōsuevit, (sicut alterum illud ieiunium ieiunantis) nihil hīc differimus: Quandoquidem nihil id ad nostrum institutum facit; quippe quod brutis animalibus cum hominibus sit commune.

MOSAICAE legis ieiunia, vt cætera cæremonialia, iam dudum exoleuerunt: vnde nihil est quod de iis prolixè hoc loco disputemus. Solūm monuerim, non omnia veteris illius populi ieiunia fuisse libera; Quædam enim magna seueritate illi erant indicta. DEI vox est: *Decimo die mensis huius septimi dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur sanctus; & affligetis animas vestras in eo: et offeretis holocaustum Domino. Omnis anima, quæ afflicta nō fuerit die hac, peribit.* At siue interitus, quem lex interminatur, referatur ad corpus, siue ad animam, siue ad vtrunque simul, maximam, citra controuersiam, exprimebat pœnam. Quòd autem afflictionis nomine veniant ieiunia, id apud diuinorum oraculorum interpretes quæstionem non habet.

RESTANT ergo sola Christiana vel Ecclesiastica ieiunia; siue per Apostolos, (vt de nonnullis certò constat) ea ad nos defluisse dicas; siue per quoscunque alios Ecclesiæ Catholicæ proceres. Nam ad rituum, vel cæremoniarum institutionem, legumq; Reipub. Christianæ necessariarum lationem quod spectat, eadem nunc in Ecclesia DEI auctoritas est, eritque semper, quæ fuit Apostolorum ætate. Esset namque Ecclesiæ status miserimus, si ipsa pro locorum & temporum qualitate, nullas leges, quæ bonum publicum promouerent, aut publica mala coërcerent, ferre possent.

CAETERVM Christiano vel Ecclesiastico ritu, hoc est, secundum normam ab Ecclesia præscriptam, vel ab eadem approbatam ieiunaturus, præter ciborum delectum, qui propriæ rationis ieiunio adeò intrinsecus est, vt ab eo diuelli vix queat, duo obseruare debet. Horum alterum est, ne sæpius quàm semel interdium cibum sumat: Alterum est, ne ante nonam vel vespèram, vel crassa

Verisimile sit, Patres, qui legē antecesserunt, suas habuisse ieiunationes.

Non omnia Moisaica legē ieiunia erant libera. Leuit. 23.

Scripturarum phrasi, afflictionis nomine designantur ieiunia.

Eadem nunc fœderarum legum in Ecclesia auctoritas est, quæ fuit Apostolorum ætate.

Ieiunium Ecclesiasticum tribus partibus cōstat.

quadam calculatione ante meridiem istud faciat. Quòd si quid ex tribus hisce prætermiserit, vt abstinuissè dici queat, legitimè ieiunasse dici non poterit.

CVM itaq; tria hæc eo ferè modo ad ieiunium sese habeant, quo fundamentum, parietes, & tectum ad domum, cæteræq; partes corpus aliquod absolventes ad corpus totum; Methodi ratio postulare videtur, vt prius de his differamus, quàm de cæteris, quæ extra ieiunij rationem existunt, vel minùs sanè propinquè ad illud affecta sunt. Ordinemur autem à ciborum delectu; non quòd hic solus ieiunium absoluat, sed quòd inter tria, quorum modò meminimus, primatum ferè obtineat, multoq; latius quàm duo reliqua pateat. Constat namque, multos à ieiunij lege absolui, qui tamen à ciborum delectu non absoluantur: multos rursum intra anni curriculum dies à ieiunio vacare, qui tamen à ciborum delectu non vacant. Quin illi ipsi quoque, qui sectas fouent, multò infestius ciborum delectum insectantur, quàm ieiunium. Imò non desunt, qui publicè illud probent, tametsi neminem præcepto aliquo ad illud compellendum censeant.

Ciborum' delectus latius patet, quàm relique ieiuniorum partes.

Nullum alimenti genus ex se immundum, naturalie aut Evangelica lege inhibatum esse.

CAPVT SECVNDVM.

DE ciborum delectu, quatenus ad Christiani ieiunij rationem facit, verba facturus, contra manifestas quorundam calumnias, vt certum & apud omnes sincerè Catholicos indubitatum hic pono, nullum omnino alimenti genus tanquam natura sua immundum, vllò omnino iure, aut lege proscripsum esse. Nam si qua esca ex se peccati vitus inclusum haberet, nunquam ea vesci liceret: Siquidem quod sua natura tale est, semper est tale: At nulla est, qua interdum vti non liceat.

Nulla esca aliàs vitata secundum se est immunda.

1. Timo. 4.

Tit. 1.

1. Cor. 10.

AD HÆC si quis cibus animam ex se contaminare natus esset, Apostolus nunquam scripturus erat: *Omnis creatura DEI bona est; & nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum DEI & orationem.* Rursum: *Omnia munda mundis; conquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum mens et conscientia.* Item: *Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogan-*

tes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium ad cenam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Psal. 23.

NEC CHRISTVS Dñs Apostolis, & per hoc cateris omnibus vnquam dicturus erat: Audite & intelligite. Non quod intrat in os, Matth. 15. ¶
coquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coquinat hominem. Item:

In quamcunq; civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis. Rursum: Quod DEVS purificavit, tu commune ne dixeris. Luc. 16. Actor. 10.

Neg; Dominus ad Noë: Terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia Gen. 9.

terra, & super omnes volucres cæli: cum vniuersis, quæ mouentur super terrã. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt; & omne quod viuit & mouetur, erit vobis in cibum; quasi olera viuentia tradidi vobis omnia. Et ante hunc locum: Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis

animantibus, quæ mouentur super terram. At dominium hoc in terræ animantes nullum, vel certè mancum admodum extitisset, si idoneas in cibum vertere non licuisset. Genes. 1.

DENIQUE si quid ex iis omnibus, quæ in communem hominum vsum veniunt, secundum se immundum, aut animã hominis ex se contaminare aptum foret, nunquam Ecclesia contra Ecclesia eos oēs tanquam hæreticos execratur. qui quascunq; escas tanquã ex se immundas execrantur. Cano. 52.

DE HIC cognatum est illud Synodi Ancyritanæ: De his, qui in Clero sunt presbyteri, vel diaconi, & abstinēt à carnibus, hoc placuit statui, vt nō eas tanquam immundas contempnant, sed cōtingant. A quibus quidē qui se abstinere volunt, habeant potestati: ita tamen, si quãdo cum oleribus coquuntur, eadem tãquam carnibus polluta non iudicent, sed ex his cibum assumant, quamuis à carnibus se abstineant. Quod si in tantum eas immundas & abominabiles iudicauerint, vt nec olera, quæ cum carnibus coquuntur, astiment comedenda, tanquam non consentientes huic regulæ cessare eos oportet à ministerio & ordine suo. Cano. 14.

ET

Cano. 2.

Et illud rursus Synodi Gangrensis: Si quis carnem manducantem ex fide cum religione crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, quod eas manducat, anathema sit. Et

In assert. fid.

illud item Synodi Toletanae primae: Si quis dixerit, aut crediderit, carnes auium seu pecudum, quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit. Et illud tandem Synodi Bracharensis primae: Si quis

Cano. 14.

immundos putat cibos carniarum, quas DEVS in usum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus prae gustet, sicut Manichaeus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

OMNES hi Canones, & alij praeterea complures, quos breuitatis studio missos facio (longum enim foret, si quis omnia, quae ea de re cauta extant, referre hic instituat) disertè illos condemnant, qui ab escis, quas DEVS, ut cum gratiarum actione percipiuntur, creauit, abstinent, tanquam à rebus sua natura immundis, internumque hominem secundum se polluerent. Interim eos, qui pietatis causa, vel semper, vel statis temporibus à quibusdam abstinent, adeò non condemnant, ut aperte quoque commendent. Si itaque Euangelis, si Apostolis, si communi Ecclesiae iudicio refragari nolumus, nullum alimenti genus secundum se immundum, aut homini vniuersè interdictum statuemus.

Quod intrinsecè malè est, id rationis luce deprehendi potest.

SED nec aliud quoque decernemus, si ius naturale, vel rationis lumen in consilium adsciscemus. Nam quod secundum se illicitum, aut suapte natura pollutum est, id eiusmodi esse, rationis luce deprehendi potest. At nulla rationis vi cognosci potest, nec ab ullo vnquam sapiente traditum est, aliquam escam, quae in hominum usum veniat, spiritalibus sordibus infectam esse, aut in necessarium humanae vitae usum verti non posse. Fuerunt sanè, qui non solum ab animantibus, sed à quibusdam quoque fruticibus abstinentium putabant; verum hi principio nitebantur in vera Philosophia planè absurdo. Quis enim, nisi aut admodum rudis, aut à dæmone dementatus humanas animas de corpore ad corpus subinde transmigrare credat? at hoc illi persuasum habebant; qui ab omnibus viuentibus se continebant.

PRAE-

PRAETEREA apud omnes, qui ducem rationem sequuntur, quasi dignitas quædam receptum est, inferiora minusq; perfecta ad superiorum magisq; perfectiorum obsequium & usum spectare: cum ergo herbæ cæteraque sensu carentia brutis animantibus sint imperfectiora, & illa hominibus: efficitur, ut humi nascentia rectè vertuntur in usum & alimentum animantium: ita animantia rectè conuerti in usum & alimentum hominum. Deniq; docere carnes, vinum, oua, aliæque, quibus humana vita sustentatur, immunda, aut secundum se absolute lege aliqua proscripra esse, aliud nihil est, quàm hominem in inexplicabiles difficultates conicere. Nam si comedit, noxæ; si non comedit, vitæ periculo sese exponit. In causa itaque maneat, nullum ciborum genus secundum se immundum, aut per vllam omnino legem vniuersè proscriprum esse.

At verò quando ex Euangelio, Apostolo, Ecclesię traditione, & humana tãdem ratione docetur, nihil infra hominem positum ex se immundum, aut peccati labe infectum esse, nemo hinc inferat, quiduis, lege seclusa, citra noxam in humanam escam verti posse. Nam etsi *omnis DEI creatura bona est*, non omnis tamen, quæ homini in cibum cedat, idonea est. Sunt enim, quæ solo aspectu naturæ bene institutæ horrorem ingerunt: Alia, quæ tantum gustata mortem adferunt: Quædam, quæ absque grauisima valetudinis offensione manducari non possunt. Hæc autem iisq; similia non magis comedere licet, quàm seipsum occidere, aut grauius lædere. Sed & illa ipsa quoque, quæ in communem humanæ vitæ usum veniunt, non quouis modo licitè sumuntur. Quis enim illum liberum à vitio pronunciet, qui citra vllam necessitatem crudas, sanguinèque adhuc stillantes cuiuscunque animantis carnes luporum more ingerat?

INTEr ea autem, quæ citra execrationem, grauisimiq; sceleris notam vorare non licet, meritò censentur carnes humanæ. Nam etsi illæ secundum se immundæ non sunt, attamen hominis non profusus deprauati natura earum usum planè exhorret; & ea, quæ menti nostræ impressa est lex, eundem vt scædum & homine omnino indignum absolute condemnat. Quamobrem Læstrigones, Massagetæ, Cyclopes, & in vniuersum omnes illi, inter quos immane illud ἀνθρώπου φαγίας flagitium viget, aut viguit vnquam,

S pelsi-

Minus perfecta ad perfectiorum obsequium & usum ordinantur.

1. Tim. 4. Etsi omnis DEI creatura bona est, non omnis tamen, quæ in cibum vertatur, idonea est.

Nefas humanis carnibus vesci.

peffimè apud omnes audiunt, audiueruntq; ſemper. Sed & inter præcipua quoque Lucij Catilinæ facinora cenſentur, quòd humani corporis cruorem vino permixtum circumferre, coniurationisq; confortibus propinare non horruerit. Adde his fœdum illud execrandumq; ἀνθρωποφαγίας vitium cum pietate & humanitate, quam humanis cadaueribus debemus, omnino pugnare, iuraque ſepulturæ fœdiſſimè violare. Paucis, hominem deuorare hominem, portentum eſt longè portentofiſſimum.

Portentum portentofiſſimum hominem deuorare hominem.

AT quæſtionem tamen nonnullam habet, tùmne eiufmodi carnibus veſci liceat, cùm extrema inedia cruciat? Probabile fit, ne tunc quidem iſtuc fas eſſe. Nam ſi id liceret, cùm aliud nihil ad manus eſſet, quo pereunti vitæ ſubueniretur, neceſſarium quoq; eſſet; ſiquidem nemini ſeipſum perimere, ius eſt: Is autem citra vllam dubitationem ſe perimit, qui extrema inedia laborans, cibo oblato, quo licitè vti poteſt, non vtitur. Certum eſt enim, ſi Carthuſiano nihil omnino adſit, quo vitam tueatur, præter carnes, voto non obſtante, carnibus veſci debere: Secùs ſi tale quid corporis egritudo eſt flagitaret. Nam licet alimento, ſi haberi queat, ſemper vti teneamur, medicamento tamen nō ſemper. Atqui nemo, opinor, eum peccati condemnaret, qui extrema inedia laborans ab humanis carnibus abſtineret.

Carthuſiano nihil habes, quo veſcatur, q̄ carnes, carnibus veſci obligatur.

SVNT qui quandam hęc diſtinctionem adhibent; aiunt enim: quamuis alimètorum cauſa, nullum omnino occidere liceat, extrema tamen vrgente neceſſitate, eorum carnibus, qui in prælio occubuerunt, veſci nefas non eſſe. Sed neque iſtud quoque ſatis compertum eſt, ſiquidem omnes rationes, argumenta, & auctōritates, quæ ab humanarum carniū eſu abſterrent, in hoc quoq; caſu locum habent. Certum eſt tamen, multò leuiùs peccare, qui extrema inedia adacti, eorum cadauera adoriuntur, qui aduerſo Marte ceciderunt, quàm qui fontes vel alios quoscuq; ne ipſi fame percant, occidunt.

Nō ſatis cōper- tum eſt, eorū tamen carnibus veſci liceat ſane ſeu- te, qui in prælio occubuerunt.

ET quemadmodum carnes humanas vorare, aut beſtiis obiectare non licet; (niſi forſan vindicta publica in aliorum terrorem aliud interdum poſtulet) ita nullum quoque mortalium in ſacrificium deuonere, aut malè deuotū immolare fas eſt, aut ſui vnquam. Neq; cauſa huius obſcura eſt; ſiquidē in ſontem ad aram maſtare, immane eſt ſacrilegium, ſontem aut, vel propter admiſſa ſcelera

Non licet huma- nis carnibus ſa- crificare.

scelera neci iam destinatum offerre, aliud nihil est, quàm immunda victima DEI templum profanare. Idem namq; hìc fit, ac si quis canem mortuum, aut pecus morbo extinctum offerat. Erat sanè Patriarcha Abraham Isaacum, quem vnice diligebat, immolare paratus, sed hoc non ex proprio animi iudicio, aut priuato consilio, verùm ex illius imperio & iussu, penes quem absolutum vitæ mortisq; omnium dominium existerat.

Genes. 22.

Si c Iepte quoq; Israëlitici populi dux propriã filiam occidit & obtulit, verùm is neq; vouendo, neq; votum explendo satis cõsultè egit. Nam hoc ipso, quòd cum se immolaturum vouebat, qui primus ex hoste debellato domum redeunti obuiam venisset, hominem offerre voluisse certò putãdus est. Haud enim aliud peregrè redeuntibus obuia prodire solet, quàm vel homo, aut domesticus canis. Atqui canem immolare non licebat, & vt maximè licuisset, attamen pro tanta victoria, victima illa parui omnino momenti fuisset. Hominem itaq; non canem, aut aliud quodcunq; pecus sacrificare voluisse putandus est.

Iudic. 11.
Iepte votum nõ
satis consultum.

At qualecunq; tandem factum illud secundum se extiterit: (nam ad nostrum institutum nõ ita multum id facit) certum est, Iepte ante mortè cum DEO in gratiam rediisse: siquidè Apostolus inter alios veteris Testamèti Sanctos illum etiam recenset. Certum est nihilosecius, humanas victimas, quæ ante orbem redemptum passim vsitæ erant, DEO maiorem in modum semper displicuisse. Vnde inter cæteras Gentium abominationes vnã hanc vt maximè capitalem nominatim perstringit; ait enim: *Omnes abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes eos igni.* Sed & primogenita, quæ iure ipsi debebantur, non mactari, sed redimi voluit. Certum est tandem, cuncta, quæ DEVS creauit, ita secundum se bona & munda esse, vt tamen, omni etiam externa lege seclusa, nõ omnia promiscuè citra peccatum comedere liceat; hoc autem est, quod nos paulò antè asserbamus, & hìc probatum volebamus.

Heb. 11.

Victimæ huma-
næ nefariæ, Deo
oque apprimè
exosa.

Deut. 12.

*Ciborum delectum DEI verbo non esse contrarium, nec herè
natum; sed antiquissimum, diuinisq; Scripturis
per omnia consentaneum.*

CAPVT TERTIVM.

S 2

VERVM-

Omni ætate & tempore ab aliquibus semper abstentum est.



VERVMENIMVERO licet nullum alimenti genus iure naturali sit inhibitum, aut natura sua immunum; attamen iam inde à nascentis mundi exordio, vel patrię consuetudine, vel **D E I** maiorũmue instituto semper ab aliquibus abstentum est. Et quamuis ex sacris literis id vsq; adeò sit perspicuum, vt ne ipsi quidem Antagonistę inficiari audeant, nihilominus veritas hæc non parum illustrior euadet, si, quid quauis ætate ea in re obseruatum fuerit, paucis hoc loco ob oculos ponam.

I G I T V R cùm mundi Opifex **D E V S** omnia, quæ amplissimo paradisi ambitu continebantur, in primi parentis nostri vsum & alimentum benignè & liberaliter cõtulisset, cunctaque, quæ mouentur in terris, imperio illius subiecisset: ne absque vlla prorsus disciplinæ lege viueret; tùm ne idonea materia, qua suam erga munificentissimum parentem obedientiam & obseruantiam declararet, ipsi deesset, auctiusq; æternæ vitæ meritũ ea ratione sibi pararet, nulla alia, quàm abstinentiæ lege illum probare, & ad pietatem exercere voluit. Verba legis sic habent: *Ex omni ligno Paradisi comede; deligno autem scientiæ boni & mali ne comede: Quacumq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* En ciborum delectum sub grauissima pœna primo generis nostri parenti ab omni peccato iam tum adhuc immuni indictum.

Prima legum omnium de ciborum delectu cauit.

Genesi.

Q V O D autem **D E V S** Opt. Max. non tantum periculi faciendi causa, à ligno scientiæ boni & mali Adamum abstinere iusserit, sed simul quoque exercitij, idq; seuerè omnino & seriò, hoc magno nostro incommòdo & malo probauit rei euentus. Constat enim, protoplastos, quòd eam obseruantię legem temerè violassent, ex amœnissimo Paradisi loco, primæuæque iustitiæ dono miserabiliter excidisse, grauique seiplos scelere obstrinxisse; & quod omnium grauissimum est, vniuersam posteritatem suam iustitiæ & sanctitate, quam vnà cum ipsa natura singuli accepturi erant, orbatam, nec non originis labe fœdè contaminatam in mortem, aliasq; innumeras calamitates, quæ hanc vel antecedunt, vel eandem consequuntur, præcipitem egisse.

Lex de ciborum delectu in Paradiso lata, & violata seuerissimè vindicata.

A N verò cætera ne omnia, citra vllam prorsus exceptionem, primo homini, eiusdemq; posteris in cibum fuerint concessa, id
ea de

ea de causa à quibusdam in quæstionem vocatur, quia primis illis Geneleos capitibus, vbi ex instituto homini victus ratio præfinitur, nulla carniū, aut piscium, aut aliorum eiusmodi fit mentio, sed eorum tantum, quæ tellus & arbores proximè ex se fundunt. Dixit enim DEVS: *Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semen super terram, & vniversa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* & infra: *Ex omni ligno paradisi comedite; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Hæc DEVS ante peccatum, in quibus, vt apparet, altum de carniū, ouis, pisciū, lacte, caseo, aliisque similibus est silentium.

SED & statim quoque post admissum peccatum norma illa viuendi, quæ in paradiso semel tradita & promulgata fuerat, denovo statuitur & confirmatur: Quandoquidem sub tertij capituli finem inter cætera ita legimus: *Quia audiisti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.* Ex his itaq; aliisque similibus quidam nullum ante diluuium, carniū, aut piscium, aut aliorum eiusmodi vsum extitisse inferunt. Alij ex iisdem illis Scripturæ locis oppositum colligunt. Nonnulli inter vsum & publicum vel communem vsum, secernunt; aiunt enim, aliquem earum rerum vsum etiam ante cataclysmum obtinuisse; at non passim, nec apud omnes, sed apud quosdam tantum, idque lege permittente aut dissimulante verius quam suadente. & horum sententia videtur sanior.

PRIMO namque satis compertum est, earum rerum vsum per id tempus iure naturali non fuisse illicitum. Nam quod eo iure semel non licet, id nunquam licet; quippe quod ea tantum vetare soleat, quæ intrinsecè mala sunt. Atqui vesci carniū, aut bibere vinum, ex se non est malum; sed si malum est, ideo malum est, quia prohibitum est, aut quia rei cuiuspiam natura mutata est: Non enim eadem conueniunt sano & ægro. Quod si secundum se malum esset, CHRISTVS eiusdemque discipuli à vino & carniū perpetuò abstinuissent; at non semper abstinerunt.

ÆQUE compertum est, nullum primis illis capitibus extare præceptum, quo primis parentibus eorundemque posteris carniū, aut piscium, aut vini, aut aliarum consimilium rerum vsum aperte prohibeatur. Nam etsi olera & arborum fetus ipsis in escam

Nō satis certum omnianē simpliciter primo homini in cibum & alimentū fuerint concessa, præter fructum arboris scientiæ boni & mali. Genes. 2.

Genes. 3.

Tres opiniones de vsum carniū, ante diluuium.

Verisimile, extitisse vsum carniū ante diluuium.

Vesci carniū & bibere vinum secundum se non est malum.

Primis Geneleos capitibus nulla, vna duntaxat excepta, escam prohibetur.

Res sua natura
indifferetes, quæ
expressè non p-
hibent, concessæ
creduantur.

proponantur; carnes tamè & quæ illis cognata sunt, expressè non interdiciuntur. Iam inter res suapte natura indifferentes, si quæ expressè non prohibentur, eæ simpliciter concessæ iudicantur. Imò verò eo ipso, quòd primæuus ille status naturalis legis nomine designatur, iudicium haudquaquam obscurum sit, vel nulla, vel certè paucissima externa præcepta per id tempus extitisse. Quare illi ipsi quoque, qui carniùm esum ante diluuium frequentem extitisse negat, ante Moyfi legem promulgatam nullius animantis carnes absolute proscriptas fuisse disertè affirmant.

Carnes, & quæ
cum his cogna-
tionem habent,
aliquæ usum ha-
buere, ante dilu-
uium.

Genes. 4.

CERTVM est tandem, carnes & quæ cum carne cognationem habent, vt sunt oua, lac, butyrum, caseus, aliæque id genus complura, si non apud omnes, certè apud aliquos aliquem saltem ante diluuium usum habuisse. Extat enim Abelis commendatio propterea, quòd de gregis sui primogenitis, eorundemq; adipibus liberaliter obtulisset. Atqui si nullus illa ætate lactis, aut casei, aut carniùm usus erat, in idem planè redibat, pingüene eset, quod offerebat, an tenue vel gracile. Nam quòd propter solam lanam, aut pelles sæculi illius homines tam numerosos greges pauerint, id nequiquam fit verisimile.

Sacrificium Deo
placiturum ex
rebus vtilibus
offerri debet.

SED neque mysterio quoque vacat, quòd Noè ex animantibus immundis bina tantùm; ex mundis autem septena secum in arcam assumere iubetur. Nam etsi iussum hoc ad sacrificij rationem referri queat; alimenti tamen ratio hinc excludi non debet. Quandoquidem, si nullus illorum animantium domesticus usus extitisset, nullus quoque eisdem in publicis sacrificiis locus relictus esset; Sacrificium namque DEO gratum, non de quolibet, sed de rebus vtilibus offerri debet. Quis enim ferat, aut sacrificium appellet, si pullo aut vitulo, peste vel alio morbo extincto DEO quispiam litet? Sed ad rationem ex septenario illo mundorum numero petitam. Aut turtures, columbæ, gallinæ earundemque pulli, & alia eius generis volatilia ante cataclysmum cœlesti numini offerebantur, aut secus. Si offerebantur, erant ergo vtilia. At nullum hæc usum habere videntur, si vel ipsa vel illorum oua non comedantur. Si autem nihil ex iis omnibus DEO offerebatur, quorsum septena ex illis sunt assumpta, cum ad sobolis propagationem bina sat esse potuerint?

SIMILIS ratio ex mundorum & immundorum distinctione institui queat. Nam quæ dicebantur immunda, aut ratione alimenti, aut ratione sacrificij, aut ratione vtriusque talia dicebantur. Si ratione alimenti, ergo ceteris omnibus, quæ immunda non censebantur, licebat vesci. Rursum si qua habebantur munda ratione sacrificij, ergo illa erant vtilia; at pleraque mundorum nulum habent vsum extra mensam: ergo etiam ante diluuium aliquis animalium vsum erat in epulis. Id quod ex illorum sententia, qui carniū vsum ante Cataclysmum extitisse inficiantur, hæcenus quoque confirmari queat, quatenus lactis, butyri, casei, aliorumque eiusmodi vsum ante id tempus receptum fuisse ingenuè profitentur: Siquidem primo, secundo, & tertio Geneseos capite, vnde illi argumentum contra carnes petunt, æquè excluduntur, vel vt rectius dicam, æquè reticentur oua, lac, butyrum, & caseus, ac carnes. Cur id ergo de vno negant, quod de aliis omnibus affirmant?

DENIQUE ex Euangelio, vt de aliis Scripturis nihil dicam, magna fit coniectura, si non apud omnes promiscuè, certè apud multos, magnum satis ante cataclysmū luxum extitisse; scriptum est enim: *Sicut in diebus Noë ante diluuium erant comedentes et bibentes, nuptii & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus filij hominis.* Atqui aqua, poma, olera, aliæque humi nascentia luxui fouendo haud multum idonea censeantur, etiam si copiosius ingeras. Quamuis ergo sanctiores ante diluuium à carnibus aliisq; similibus fortè abstinerint, deprauatiores tamè, quorum nimirū animus toto impetu ad carnis illecebras ferebatur, non magis à carnibus abstinuissent putandi sunt, quàm à ceteris, quæ voluptatis sensum ciere nata sunt. Sed istud interim nihil contra id, quod nos hic instituiamus: nobis enim sat est, aliquos saltem per id tempus compertos esse, qui non omnibus indiscriminatim vescerentur semper. Nam si omnes omnibus promiscuè vescerentur, quorsum inter munda & immunda fecernebatur?

AT verò post diluuium carniū esus humanæ naturæ imbecillitati ita est indultus, vt tamen non omnis eorum vsum citra delectum vllum fuerit concessus. Concessiois verba habent: *Omne, quod mouetur & viuit super terram, erit vobis in cibum, quasi olera*

Distinctio inter munda & immunda arguit aliquos carniū vsum ante cataclysmū extitisse.

Nō satis sibi constat, qui carniū vsum ante diluuiū extitisse negant.

*Match 25.
Luc. 17.*

Insignis luxus, qui diluuium antecessit, carniū & vini vsum ea ætate extitisse haud obscurè ostendit.

Genes. 9.

virentia

Quid sit comedere carnem cū sanguine.

virgentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine, hoc est, in sanguine suo præfocatam, vel, vt quidam non profus imperitè exponunt, crudam sanguinéque & sanie adhuc stillantem, non comedetis.

Lex de sanguine & suffocato, omnibus penè mundi ætatibus obtinuit.

Act. 15.

HÆC autem de sanguine & suffocato prohibitio, non tantum secunda illa mundi ætate robur obtinuit; sed inde exorsa vique ad legem Mosaicam; & hinc rursus perpetua quadam serie vsque ad Euangelium, & eo etiam longius sese porrexit. Nam quò inter Christianos ex Iudeis & Gentibus ad CHRISTVM conuersos benevolentia & firma pax coalesceret, cæteris legalibus abrogatis, Apostoli sanctionem de sanguine & suffocato nouo rursus decreto cõfirmarunt: *Visum, inquit, est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus vos custodientes bene agetis.* Hæc de ciborum delectu in prima sua Synodo Apostoli.

Græci etiam à sanguine & suffocato abstinent.

ET quamuis eorum mens non esset, decretum aliquod promulgare, quod perpetuis temporibus obtineret; (Quare ipsis etiamnum superstitibus, lex illa de sanguine & suffocato non vbi que obseruabatur; sed iis duntaxat locis, in quibus legis ratio adhuc perstabat) attamen Græci, Armeni, eorundemque vicini, siue maiorum suorum studio, siue Latinorum hominum odio, siue alio quocunque consilio moti, eam de sanguine & suffocato sanctionem nunquam hæcenus seruare desierunt. Quin Latini quoque, vt apud Rabanum, Burchardum, Bedam, Iuonem, & alios, qui Canonum Rapsodias ediderunt, videre est, longo post Apostolorum decessum tempore à sanguine & suffocato se continuerunt.

Plurima in lege Mosaicæ tanquã immunda prohibita. Leuit. 11.

AT verò lex Mosaicæ, hæc de abstinendo à sanguine & suffocato lege non contenta, etiam suum, leporum, & multorum præterea aliorum animantium carnes, veluti immundas proscribat. *De his, inquit Moyfes, aut per Moysem Dominus, que ruminant, & ungulam non findunt, hæc comedere non debetis, Camelum, Leporem, Cbærogryllum, qui ruminant, & non diuidunt ungulam. Sus quoque, quoniam diuidit ungulam, & non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescimini, & cadauera non tangetis. & paucis interiectis: Immundas aues non comedetis, aquilam videlicet, gryphum, haliaëtum, ixon, vulturem, miluum, &*

omne

omne coruini generis, strutionem, noctuam, larum, accipitrem, herodium, cy-
 guam, ibin, mergulum &c. En quanta vis animantium, quibus Iudæis
 vesci non licebat. Similes prohibitiones comperias Exod. 12. 23.
 21. 22. 29. Leuit. 6. 17. 19. 22. 23. Num. 6. 18. Deut. 12. 14. & alibi non
 infrequenter, quæcunq; tandem tantæ huius prohibitionis ratio
 extiterit. De hoc enim variæ extant doctorum hominum senten-
 tiæ, variæ opiniones, variæ interpretationes.

VERVM fuerit illa mystica vel physica, vel ex vtraq; mixta, vel
 qualiscunq; alia, certum est, pios homines tanta religione ab iis
 omnibus abstinuisse, quæ lex repudiabat, vt quidam immania sup-
 plicia, adeoq; mortem ipsam maluerint subire, quàm contra legis
 præscriptum quicquã omnino ex iis, quæ lex immunda censebat,
 degustare. Eleazarus, tradit scriptura, vnus de primoribus, vir atate pro-
 uectus, & vultu decorus, aperto ore hians, compellebatur carnem porcina manducare: at ille generosissimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens,
 voluntariè præibat ad supplicium. & infra:

CONTIGIT autem, septem fratres vnâ cum matre sua apprehensos
 compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.
 Vnus autè ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid queris, & quid vis discere à no-
 bis? parati sumus mori magis, quàm patrias DEI leges præuaricari. Subiun-
 gitur deinde, qui ad vnum omnes vnâ cû matre atrocissimis sup-
 pliciiis è medio sublati fuerint, nullã aliam mortis causam habentes,
 quàm quòd cõtra legalem ciborũ delectum nolent peccare.

HVC quoque pertinet, quod Propheta Hieremias prophetiæ
 sue c. 35. de Rechabitis exponit. Posui, ait, coram filiis domus Rechabita-
 rum scyphos plenos vino & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum, qui responde-
 runt: Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster, præcepit
 nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsq; in sempiternum; &
 domum non edificabitis, & sementem non seretis, & vineas nõ plantabitis, nec
 habebitis; sed habitabitis in tabernaculis, cunctis diebus vestris, vt viuatis die-
 bus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo vò-
 ti Ionadab filij Rechab patris nostri in omnibus, quæ præcepit nobis ita, vt non
 biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos & mulieres nostræ, filij & filie
 nostræ, & non edificaremus domus &c. En graue iugum non à publico
 & legitimo magistratu; sed ab homine priuato posteritati Re-
 chab impostum. En promptam expeditamq; optimorum filio-
 rum in re, secundum se planè adiphora, obedientiam.

T A T

Comperit apud
 Iudæos, qui im-
 manissimã mor-
 tẽ mallet subire,
 quàm quicquã
 contra ciborum
 delectum com-
 mittere.
 Illustre Eleazari
 martyrium.

2. Mach. 7.

Heroica sancto-
 rum Machabeo-
 rũ sententia cru-
 deleq; eorũdem
 supplicium.

Hierem. 35.

Admirabilis Re-
 chabitarum obe-
 dientia & conti-
 nentia.

Eodem cap. 35.

AT nunquid obedientia isthæc tanquam res vana, aut superstitiosa DEO displicuit? minimè gentiù; sequitur enim: Firmauerunt filij Ionadab filij Rechab præceptum patris sui, quod præcepit eis, populus autem iste non obediuit mihi. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum DEVS Israël. Ecce ego adducam super Iudam, & super omnes habitatores Hierusalem uniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersus illos, eò quòd locutus sum ad illos, & non audiuerunt; vocaui illos, & non responderunt mihi. Domini autè Rechabitarum dixit Hieremias: Pro eo quòd obediuistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodiuistis omnia mandata eius, & fecistis uniuersa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum DEVS Israël. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. En amplissimam præstita obedientia mercedem.

Rechabitarum obedientia egregia mercede penata.

Cap. 10.

Nazaræis & tabernaculo deservientibus vini potu interdictum erat.

Cap. 6.

Hæc obseruet, qd altari hoc tēpore deservit, & animarum curam gerunt.

Cap. 13.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

Cap. 44.

EIVSDEM nota est illud Leuitici: Vinum & omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui quando intrabitis tabernaculum testimonij, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et præcepti causam exponens, subiungit: Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus sum ad eos per manum Moyse. & illud Numerorum: Vir, siue mulier cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni, quod inebriare potest, abstinere, & illud rursus Iudicum: Sterilis es & absque liberis, sed concipies & paries filium: Cane ergo, ne bibas vinum aut siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies & paries filium, cuius non tanget caput nonacula. Erit enim Nazareus DEI ab infantia sua. & infra: Ab omnibus, quæ ego locutus sum uxori tue, abstineat se, & quicquid ex vinea nascitur, non comedat. Vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo, & quod ei præcepi, impleat atq; custodiat. & illud tandem Ezechielis: Caput suum non radent, neq; comam nutriant, sed tondentes attondent capita sua. Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius.

SED & in præcipua quoque Danielis & sociorum eiusdem laude ponitur, quòd solis leguminibus & aqua maluerint victitare, quam regio cibo animas suas contaminare. Dentur, aiunt, nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & conemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio, & sicut videris, facies cum seruis tuis. Qui audito sermone eiusmodi, tentavit eos diebus decem: post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus

Dani. 1.

Danielis & sociorum eiusdem abstinentia.

omnibus pueris, qui vescerentur cibo regio. Porro Malassar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, & dabat eis legumina.

HABVIT autem DEVS hoc pietatis & religionis studium vsquadeo gratum, vt tantam illis scientiam & sapientiam infunderet, quanta humana industria & studio parari nullo modo potest. subditur enim: Pueris autem his dedit DEVS scientiam & disciplinam in omni libro & Sapientia. Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. & infra: Cumque eis locutus fuisset Rex, non sunt inuenti tales de vniuersis vt Daniel, Ananias, Misael, & Azarias, & steterunt in conspectu regis, & omne verbum Sapientie & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, inuenit in eis decuplum super cunctos Ariolos & Magos, qui erant in vniuerso regno eius.

FRVCTVM huic haud dissimilem sua religio & abstinentia peperit seniori Tobia: quodque: Etenim cum per captiuitatem deuenisset cum uxore & filio in ciuitatem Ninuem cum omni tribu sua; & cum omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi DEVS gratiam in conspectu Salmanasar Regis, & dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quacumque facere voluisset. hæc Scriptura de Tobia, eiusdemque pietate & religione. Denique licet CHRISTVS Dominus supra legem esset; attamen quod legem implere venisset, non etiam soluere, nusquam legitur aliquid manducasse, aut bibisse, quod cum legis decreto pugnaret.

MANDAT fanè discipulis, vt edant & bibant, quæ apponuntur, sed id citra vllum legis præiudicium: Siquidem Iudæi, quibus solis per id tempus prædicabant, (Nam ante missum Spiritum sanctum, neque ad Samaritanos, neque ad vllos omnino paganos diuertere fas illis erat) legalem ciborum delectum ad superstitionem vsque seruabant. Quare cum Apostolus Petrus, qui vnus ex illis erat, per extasin admoneretur, vt mactaret, eaque, quæ secundum legem vel tangere nefas erat, manducaret, non absque bonæ conscientia, quod ad eam rem attinet, fiducia respondit: Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum. Mitto hic, præceptum illud CHRISTI veriùs ad noui quam ad veteris Testamenti Doctores & Pastores pertinuisse.

Ex scripturis itaque manifestum est, in omni ætate & lege, vel propter iram & conscientiam, vel certè ad euitandum scandalum &

T 2 inf.

Danieli eiusdemque sociis obseruatum legale ciborum delectum incomparabilis scientia & sapientia collata.

Cap. 1.

Tobias obseruatum ciborum delectum & pietatis cultum in libertate restitutus, Matth. 5.

Christus Dominus legis decretum circa ciborum delectum religiosè semper obseruauit.

Iudæi caeremoniarum tuarum apprime obseruantes, Act. 10.

Iusta abstinendi
ab aliquibus cau-
sa scandalii eui-
tatio.

1. Cor. 8.

infirmorum offensionem, semper ab aliquibus abstentum fuisse. Quamquam solius scandalii euitatio idoneam per se abstinentiæ causam adferre queat. Sanè Apostolus Paulus satius iudicauit, perpetuò à carnibus abstinere, quàm esu carniù vel vnum offendere. *E*scà, scribit, nos non commendat *D E O*: Neque si manducabimus, abundabimus, neque si non manducabimus, deficiemus. Videte autem, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolo recubentem, nonne conscientia eius, cùm sit infirma, adificabitur ad manducandum idolothya; & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem *C H R I S T V S* mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in *C H R I S T V M* peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Hæc Apostolus in eos, qui rebus sua natura mediis cum nonnulla infirmorum offensione utebantur: Siquidem in idolorum fano cibum sumere; vel ea, quæ idolis consecrata fuerant, comedere, (modò id in idolorum honorem, aut cõtra conscientiam, aut maiorum sanctionem non fiat) res est secundum se adiaphora. At quia malam præ se fert speciem, infirmosq; offendere nata est, ideo in infirmorum præsentia ab ea abstinendum est. At quid illum dicturum putamus, si quem contra expressam Ecclesiæ inhibitionem; imò verò in manifestum Ecclesiæ contemptum, eiusmodi quippiam facere conspexisset?

Rom. 14.

His cognata sunt, quæ scribit idem Apostolus decimoquarto capite ad Romanos: *Q*uæ, inquit, pacis sunt, sectemur, & quæ adificationis sunt, in inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus *D E I*. Omnia quidem sunt munda; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Sed & venerandum senem illum Eleazarum nihil æquè ad mortem adegit, ac ne

2. Mach. 6.

falsa quadam simulatione iuniores in errorem præcipites ageret; ait enim: *N*ò dignum est nostra ætate, fingere, vt multi adolescentes arbitantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur: & propter hoc maculam atque execrationem meam senectuti conquiram. Solùm itaque offensionis periculum, omni præcepto & lege sublata, sufficientem abstinentiæ causam adfert. *S*ED iam ad nouæ legis, Christianæque politiæ abstinentiam se vertat oratio:

nam

nam quæ hæcenus allata sunt, ea maiorem partem ad eos spectât, qui Euangelicæ legis promulgationem antecesserunt, adeoque apud Euangelicæ libertatis præcones ad ciborum delectum statuum minus valida sunt.

Iam inde ab Apostolorum ætate, usq; ad hoc præsens euum, aliquem semper ciborum delectum in CHRISTI Ecclesia extitisse.

CAPVT QVARTVM.

AB ipso mundi exordio usq; ad Euangelium promulgatum, vel apud omnes, vel apud sanctiores aliquem perpetuò ciborum delectum obtinuisse, ostensum est hæcenus: proximum est, ut nonnulla de ea abstinentia testimonia in medium adferamus, quæ post publicatam Euangelij legem vel intra, vel extra ieiunium obtinuit, & etiamnum, ubi Ecclesiastica disciplina viget, obtinet.

ET quidem de eo delectu, quem Apostolos iis omnibus indixisse supra commemorauimus, qui ex Gentibus ad CHRISTI fidem conuertebantur, non est quòd pluribus agamus. Solùm monuerim, primos Christianos non solum abstinuisse à sanguine & suffocato; sed multos quoque à carnibus, aliisque lautioribus escis. Quomodo, inquebant, Gallia martyres, humanis carnibus vescuntur, (id enim flagitium illis à Paganis imponebatur,) qui ne carnes quidem animalium degustare consueverunt?

QVIN Philo quoque Iudæus Christianos, qui sub Marci Evangelistæ disciplina Alexandria viuebant, non solum à sanguine, suffocato, & carnibus sese cõtinuisse asserit; verùm à cæteris quoque omnibus, quæ à carne originem trahunt, vel cum carne cognitionem habent. Potus, ait, erat illis sola aqua, obsonium autem panis cum sale & hysopo. Abstinebant hi autem & cæteri omnes ab illis, non tanquam ab immundis, sed tanquam à certis vitiorum fomentis: Abstineo à carnibus, inquebat Bernhardus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Hæreticus aliter, nepe horret lac, & quicquid ex eo conficitur; potestremò omne, quod ex coitu procreatur. Rectè & Christianè, si nõ idcirco, quia ex coitu, sed ne ad coitum prouocent.

T 3 EODEM

Actor, 15.

Lib. 5. c. 1. hist. Eccliet.

Per multi in primitiua Ecclesia nõ modò à sanguine & suffocato, verùm etiam à carnibus abstinebant.

De vit. contèpl.

Ser. 66. sup. cat.

Quo sensu abstinentum à carnibus. Carnes carnis vitia nutriunt, & ad coitum prouocant.

Epic. diu. decret.
 Alio sensu &
 mente heresi im-
 buti, alio catho-
 lici à carnibus
 abstinent.
 Catech. 4.

Abstinentia à car-
 nibus præmia
 meretur.
 Lib. 3. c. 5. cont.
 Faust.

Lib. 1. c. 44. offi.

Rom. 14.
 Omnia vitiorum
 fomes & nutri-
 mentum carnes.

De conf. d. 5. c.
 Carnem.
 Monachis car-
 nium usus in-
 terdictus.
 Ser. 66. in cant.
 Abstinentia sa-
 tisfactio est pro
 peccatis.

EODEM tendit illud Theodoret: A vino & ab esu carni-um, & ab aliis eiusmodi abstinentiam non similiter, vt heretici, com-plectitur Ecclesia; illi enim ab his tanquam ab immundis abstinedum esse censent, Ecclesia autem nihil horum decreuit. Et illud Cyrilli Hierosolymitani: Ieiunamus à vino & carnibus abstinentes, non quod oderimus hæc tanquam abominationes aliquas, sed quod mercedem expectamus; vt cum ea, quæ sub sensum cadunt, neglexerimus, fruamur spiritali mensa, quæ sola potest mente comprehendere, & vt nunc seminantes in lachrymis, in futuro sæculo cum exultatione metamus. Et illud Augustini: Christiani non heretici edomandi corporis causa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa immunda esse credant, non solum à carnibus, verum etiam à quibusdam terræ fructibus abstinent.

ET illud Isidori: Postquam CHRISTVS, qui est principium & finis, apparuit, hoc quod in principio suspenderat, etiam in tempore fine retraxit, loquens per Apostolum suum: *Bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum.* Et iterum: *Qui infirmus est, olera manducet.* Non igitur quia carnes malæ sunt, ideo prohibentur; sed quia illarum epulæ carnis luxuriam gignunt; Fomes enim & nutrimentum omnium vitiorum sunt.

ET illud Episcopi Fructuosi: Carnem cuique monacho nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia, non quæ creaturam DEI iudicemus indignam, sed quod carnis abstinentia utilis & apta monachis æstimetur: seruato tamen moderamine pietatis erga ægros. Et illud tandem Bernhardi: Abstinent hi, vt prædixit ille, à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione: hinc quoque hereticos sese probantes, non sanè quia abstinent, sed quia hereticè abstinent. Nam & ego quoque interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. HÆC sat esse poterant ad id statuendum & persuadendum, quod in capitis huius titulo proponitur. At quia paulò antè indicatum est, ieiunium ecclesiasticum præter cætera, ciborum quoque delectum deponere, ex veterum monumentis quædam hic subdere placet, quæ clarè ostendant, maiores nostros iam inde ab Apostolorum ætate nunquam, citra eiusmodi delectum, ieiunare consueuisse. Ordinem autem à ieiunio solenniori, ad cætera minus solennia progressum mox facturi.

Igitur

IGITUR Clemens Romanus illustris CHRISTI martyr, Petriq; in Põtificatu successor de postrema quadragesimalis ieiunij hebdomade ita scribit: Avino & carnibus abstinete vos iis diebus: sunt enim dies luctuosi, & non festi; paraſceuen autem & Sabbatũ integrum ieiunent, qui quidẽ possunt nihil gustantes vsq; ad galli cantum. Quod si quis non potest duorum dierum ieiunium continuare, seruet saltem Sabbatum; ait enim quodam in loco de se Dominus: *Quando discedet ab iis sponsus, ieiunabunt in iis diebus.* Iis igitur diebus sublatus est à falsis Iudæis, & crucifixus, & cum impijs re-putatus. Huc facit illud Thelesphori quoque:

STATVIMVS, vt septem hebdomadas plenas ante sanctũ Pascha oēs Clerici à carne ieiunent. Quia sicut discreta debet esse vita clericorũ à laicorũ cõuersatione; ita & in ieiunio debet esse discretio. Has ergo septẽ hebdomadas oēs clerici à carne & delicijs ieiunent, & hymnis, & vigilijs, & orationibus die noctuq; inherere studeant.

Et illud Gregorij Magni: Par est, vt nos, qui his diebus à carnibus abstinemus, ab omnibus quoq; , quæ semetipsum trahunt originem, ieiunemus à lacte videlicet & caseo. Piscium autẽ vsus ita Christiano relinquitur, vt hoc illi infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Deniq; qui à carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum cõuiuia præparent. Vinum quoq; ita permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus.

Et illud Synodi sextæ: Accepimus in Armeniorũ regione, & in alijs locis in sabbatis & Dominicis sanctę Quadragesimę, quosdam oua & caseũ comedere. Visum est ergo, vt omnis DEI Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinẽ sequens ieiunium perficiat: & abstineat ab ouis & caseo, quę quidem sunt fructus & foetus eorum, à quibus abstinemus. Si aut hoc non obseruauerint, si sunt Clerici, deponantur; si laici, segregentur.

Et illud Synodi Toletanæ octauæ: Quisquis sine euitabili necessitate atq; fragilitate, & euidẽti languore seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carniũ præsumperit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carniũ abstineat gulam, qui sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam,

ET

Lib. 5. Apostol. Const.

In Quadragesima abstinendum à vino & carnibus.

Matth. 9.

Mar. 2.

D. 4. Statuimus, ep. ad omnes Episc.

Non modò à carnibus in Quadragesimali ieiunio abstinendum, verum etiam à cæteris delicatiorib; elcjs. D. 4. Deniq; episc. ad August. Aug. Episc.

In Quadragesima ab omnibus abstinendum, quæ à carne originem trahunt.

Can. 56.

Caseus & oua fructus & foetus carniũ sunt.

Can. 9.

Seuerum decretum contra eos, q; vescuntur carnibus diebus Quadragesimæ.

Cano. 50.

Quæ esca cōueniant abstinētiæ Quadragesimali.
Hom. 2. in Gen.

ET illud Laodicensis Synodi: Non oportet in Quadragesimæ quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, & totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos hos dies ieiunare, & esca abstinētiæ conuenientibus, hoc est, aridioribus vti.

ET illud Chrysofomi: Nusquam hodie (est hîc sermo de primo Quadragesimæ die) tumultus, vel clamor, vel carniū concisiones, vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt; & imitatur hæc ciuitas honestam quâdam, continentem, & sobriam matrem familiâs.

Hæres. 75. cont. Aëri.

Cuiusmodi fuerint Aëriani.

ET illud Epiphani: In diebus Paschatis, hoc est, in septimana sancta, quando apud nos fiunt humicubationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, omnesq; animarum salutés, ipsi (Aëriani) à summo manè obfonantur, carneq; & vino explentes venas, cachinnantur; ridētes ac subfannantes eos, qui sanctum hîc cultum hebdomadis paschatis perficiunt. Ecquid aliud faciunt huius nostræ ætatis Aëriani?

Serm. 3 pasch.

Quadragesima est tempus agonis.

Daniel. 1.
Daniel est focis nō solum abstinet, sed etiam ieiunat.

ET illud Theophili Alexandrini: Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites solent, vini poculum suspiramus; neque in procinctu & prælio, vbi labor & sudor est necessarius, carniū edulio delectemur. Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis, carniū esum repudiant, & infatiabilem auaritiā Dei timore compescunt. Non decet ieiunantes tempore agonis vesci carniū. Daniel & tres illi pueri docent, ieiuniorum tempore à vino & carniū abstinendum: sumere de terra semina, & potandam aquam, quibus comitibus nititur pudicitia.

Ser. 64. de temp.

Nunquam licet peccare.

Simil. oct.
Quomodo alibi ieiunabatur Apostolorū ætate.

ET illud Augustini: Sed & illa in Quadragesimæ diebus grandis vtilitas, quòd dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis monemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carniū, quibus aliis diebus vti licet? qui nos abstinemus à vino, quo moderatè vti licet? Qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent. Hæc illi de Quadragesimalis ieiunij abstinētia.

AN omne ieiunium promiscuè pertinet illud Hermetis Apostolorum discipuli. Illo die, quo ieiunabis, nihil omnino gustabis nisi panem & aquam: & computata quantitate cibi, quem cæteris diebus comesturus eras, sumptum diei illius, quem facturus eras,

eras, repones, & dabis vidua, pupillo, aut inopi. Et illud Origenis: Quando ieiunamus, o viri, abstinemus nos, vt non gustemus carnem, nec vinum, nec superfluas escas.

Lib. 3. in Iob.

Et illud Basilij: Carnes non edis? sed comedis fratrem tuum. A vino abstines? sed ab iniuriis tibi non temperas. Et illud Athanasij: Inedia & vigiliarum in tantum patiens erat, vt crudelitatem viribus vinceret, pernoctabat in oratione sapientissime, edebat semel in die post solis occasum: non nunquam biduo aut triduo sic permanens, quarto demum die reficiebatur. Sumebat vero panem & sal potumque aqua perparum. De carnibus vero & vino melius tacere puto, quam quicquam dicere, quonia nec apud plurimos quidem monachos istiusmodi esca in vsu habentur.

Hom. 1. de ieiun.
In vita Anto.

Et illud Hieronymi: Cibus & vestimentum ei palma prebebat. Quod ne cui impossibile videatur, IESVM testor & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, qua iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me Monachos, de quibus vnus per 30. annos clausus hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis per singulos dies sustentabatur.

In vit. pau. Er.

Incomparabilis
abstinentia quorundam
Monachorum.

Et illud item eiusdem: A vigesimo primo anno vsque ad 27. tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum cum sale & aqua. A 27. vsque ad 30. herbis agrestibus & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A 31. vsque ad 35. sex uncias hordeacei panis & coctum modicum olus absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine & punicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum, & vsque ad sexagesimum vitam suam annum hoc continentiae cucurrit gradu, nihil extrinsecus, aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans.

In vit. Hilario.

Incredibilis
abstinentia Abbat
is Hilarionis.

Et illud tandem Rabani: Leguntur aliqui Sanctorum per biduanas, siue per triduanas, siue etiam per totam hebdomadam ieiunium extendere. Plerique quod nec vinum, nec siceram biberint, nec aliquid manducauerint, praeter panem siccum & olera. Alij quod ab omni carne abstinerint. Alij quod intantum se abstinerint, quod nec pane, nec cibo vsi sint, sed paucis caricis corpus suum sustentauerint.

Lib. 2. ca. 25. de
Cler. institut.

De abstinentia porro quarundam feriarum, intra quamlibet

V septi-

septimanā agit illud Damasceni: Ieiunia feria quarta & sexta seruari, & pascha celebrari prohibet (Aërius) statā hęc omnia dānat. Carnibus & cibus omnis generis vsus est sine religione. Quōd si quis ieiunium seruare velit, id ab eo certis diebus seruari negat oportere, sed quando uolet: Negat enim se lege teneri.

Et illud rursus Gregorij septimi: Quia dies sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris habitus est, nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumque se Christianę religionis participem esse desiderat, ab esu carniū eadem die, nisi maiori festiuitate interueniente, vel infirmitate impediēte, abstineat.

Et illud item Leonis quarti Pont: Max: de esu carniū apud nos vetustissima, & nō improbanda traditio semper est tenenda, ut à cœnæ termino, quæ fit in principio noctis quartæ, quæ lucefcit in quarta feria vsq; ad diluculū quintæ ferię; Et similiter à cœna noctis sextæ ferię, quæ lucefcit in sexta feria non imperitē ieiunatio vsq; ad sabbati lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit, vel debuerit, protendatur.

Et illud demum Ambrosij: Sunt quidā, qui quarta feria carnē non edendam statuerunt; sunt qui sabbatis, sunt item, qui à pascha vsq; ad pentecosten edāt; est qui nunq̄ edat. Eadem hęc disparitas etiamnum in Ecclesia Dei obtinet. Siquidem quibusdam in locis non modò sabbato & profabbato abstinetur à carnibus, verum etiam feria quarta. Alibi, quōd pisces desint, etiā sabbato aliquis carniū vsus conceditur. Nonnulli tota vita non solūm à carnibus, verum etiam ab ouis se continent, nō quōd isthęc immunda censeant, sed quōd Deo, per abstinentiam sese commendare studeant. Patet ex his ergo, non solūm veteres Iudæos, sed veteres quoq; Christianos aliquē semp ciborū delectū obseruasse, adeoq; q̄ de abstinentia à carnibus & aliis quibusdā escis in Ecclesia traduntur, ea heri à Monachis non esse excogitata, sed ab ipsis Apostolis profecta, fidaq; traditione inde ad nos vsq; propagata.

Ecce quid mirum est: si Christiani, veteresq; Iudæi, vel obediētis, vel mortificationis causa à quibusdā abstineant, olimue abstinerint; cum quędam etiā apud Gentium nationes veræ abstinentiæ & ieiunationis umbræ aliquando extiterint? Possem equidem plurima eius rei exempla in medium adducere, verū ne quem

pro-

Lib. de Hæres.

Hæretici vlla se lege teneri negant.

D. 5. de Conf. Quadrag.

Sabbato maiorū instituto abstinentiū à carnibus.

D. 3. de Conf. Ca. de esu.

Quondam die Mercurij ieiunabatur, & à carnibus abstinebatur.

Ad cor. 10. Rom.

In esu carniū, vel in abstinentia porius à carnibus, ætate Ambrosij magna varietas.

Ciborum delectus vnā cum Ecclesia exortus.

Pagani quoque suas habuere abstinentias & ieiunationes.

prolixitate offendam, ea solùm adduxisse contentus ero, quæ Hieronymus contra improbam Iouiniani doctrinam & gulam adfert. Scribit is autem inter cætera in hunc modum:

DICÆARCHVS in libris antiquitatũ refert sub Saturno, id est, aureo sæculo, cum omnia humus funderet, nullos comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus & ponis, quæ sponte terra gignebat. & paucis interiectis subdit: Persarum Regis Cyri vitã Xenophon octo voluminibus explicat. Polëta, & cardamo, & sale, & pane cibario eos asserens vicitare. Lacedæmoniorũ mensæ frugalitatisq; & supradictus Xenophon, & Theophrastus, & omnes penè scriptores Græciæ testes sunt. Cherephon Stoicus, vir eloquentissimus narrat de vita antiquorũ Aegypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis, curisq; postpositis semp in templo fuerint, & rerum naturas, causasq; & rationes syderũ contemplati sint, nunquam mulieribus se miscuerint, nunq cognatos & propinquos, ne liberos quidẽ viderint ex eo tẽpore, quo diuino cultui cœpissent inservire, carnibus & vino se semper abstinerint, propter tenuitatem sensus & vertiginẽ capitis, quem ex paruo cibo patiebãtur; & maximè p̄opter appetitus libidinis, qui ex his cibis & ex hac potione nascuntur. Pane rarò vescabantur, ne onerarent stomachum, & si quãdo comedebant, tusum pariter hyssopum sumebãt in cibo, vt escam grauiorem illius calore decoquerent. & infra:

IOSEPHVS in secũda Iudaicę captiuitatis historia tria describit dogmata Iudæorũ: Phariseos, Sadducęos, & Essæos, quorũ nouissimos miris effert laudibus, quod & vxoribus, & vino, & carnibus semp abstinerint; & quotidianum ieiunium verterint in naturã. Cizycenus & Asclepiades Cyprius etate, qua Pygmalion in Oriẽte regnabat, scribunt esum carniũ non fuisse. Eubulus quoq; , q̄ti historĩa Mithrę multis voluminibus explicuit, narrat, apud Persas tria Magorum genera fuisse, quorũ primos, qui sunt doctissimi & eloquẽtissimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo sumere. Apud Eleusinã & volucibus & piscibus abstinere solemne est. Bardafenes vir Babylonius in duo dogmata Indos Gymnosophistas diuidit: quorum alterum appellat Brachmanes, alterũ Samanæos, q̄ tantę continentię sint, vt vel pomis arborũ iuxta Gangem flumiã, vel publico orizæ & farinæ vtantur cibo; & cum Rex ad eos venerit, adorare eos solitus sit, pacemq; suę puincię in illorũ precibus arbitrari sitam.

V 2 EVRI-

Hier. lib. 2. cont. Iouin.

Regnãte Saturno carniũ viũ inuitatus.

Summa sacerdotum Aegypti cõtinentia & abstinentia.

Tres apud Iudæos sectę, è quibus Essæi continentiores & abstinentiores.

Apud Persas tria Magorum genera.

Brachmanes & Samanæi Gymnosophistæ.

Sacerdotes Iouis
in Creta à carni-
bus abstinēt.

EVRIPIDES in Creta Iouis Prophetas non solum carnibus, sed etiam coctis cibis abstinuiffe refert. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantum precepta in templo Eleusinae residere scribit; Nimirum venerandos Deos, venerandos parentes, carnibus non vescendum. Orpheus in Carmine suo esum carniū detestatur. Pythagoræ, Socratis, Antistenis, & reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram, nisi & longius esset, & proprii operis egeret. Hæc omnia Hieronymus contra Iouinianum, eiusdemque sectatores, quæ clarè ostendunt, apud Paganos quoque veramque religionis ignaros abstinentiam, ciborumque delectum suum etiam habuisse locum. Fatendum est tamen, & fatemur libenter, non omnes illos, quorum B. Hieronymus meminit, virtutis studio ductos abstinuiffe; sed quosdam quoque prava quadam superstitione occæcatos: Sed hæc interim superstitio piorum religionem non infirmit, sed confirmat. Superest ut ea paucis proponamus & diluamus, quæ moderni Aëriani & Iouinianistæ contra ciborum delectum obiectare solent.

Quæ Aëriani, caterique, qui cum illis faciunt, contra ciborum delectum obiciunt, ea nihil verè & efficaciter probare.

CAPVT QVINTVM.

PRIMUM AERIANORVM ARGVMENTVM.

VT cultus quispiam DEO sit gratus, ab ipso institutus, vel preceptus sit oportet: At ciborum delectum CHRISTVS Dominus, neque instituit, neque precepit, quin potius omnibus omnia promiscuè citra ullam exceptionem indulset; ait enim: *In quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis. Non enim quod intrat in os, inquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc inquinat hominem.* Hæc ille, quæ Apostolus ad verbum penè repetit. Scribit enim: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate.* Idem ad Timotheum scribens, infidelitatis notam iis impingere non dubitat, qui cibos, quos cum gratiarum actione percipere licet, olim prohiberi erant.

Luc. 10.

Matth. 15.

1. Cor. 10.

1. Timot. 4.

SOLV.

SOLVTIO ARGVMENTI I.

SANE si DEVS Opt. Max. id solùm approbat, ratumque & gratum habet, quod per se ordinat vel mandat, cætera autem omnia veluti idololatræ vel superstitiosæ (sic enim loquuntur Antagonistæ) condemnat: consequens fit, neque Abelis, neque Noë, neque Melchisedechi, neque Abrahæ, neque vllius alterius, qui Moyse legem antecesserunt, sacrificia; neque pia illorum studia, quos Apostolus afflictos, angustiatis, melotis & pellibus caprinis indutos, in montibus & solitudinibus oberrasse commemorat; neque Rechabitarum obedientiam, singularemque eorundem abstinentiam; neque duram illam Eliæ, Elisæi, aliorumque prophetarum viuendi rationem; neque Samuelis, Dauidis, Ester, Iudith, Machabæorum, Ninivitarum &c. ieiunia; neque innumera alia veteris pietatis officia vnquam illi grata extitisse: Siquidem nihil horum omnium ille vnquam per se, aut per alterum præcepisse, aut ordinasse legitur. At quis hoc, nisi improbus mentèque omnino destitutus dicere audeat?

SED quia hæc vetusta sunt, veniamus ad nostra. Vbi, quæso, DEVS Ioanni Baptistæ præcepit, vt prima statim ætate secederet in desertum? pilisque camelorum indutus, agresti tantum melle & locusta vesceretur? Vbi virgini Matri, vt post salutationem Angelicam ad Elizabeth cognatam suam sese conferret? Vbi Annæ viduæ, vt ieiuniis & obsecrationibus die noctuque DEO in templo deseruiret? Vbi mulieri peccatrici, vt CHRISTI pedes lachrymis ablueret? ablutosque & propriis capillis extensos, vnguento perfunderet? Vbi primis Christiani nominis sectatoribus, vt diuenditis, quæ possidebant, communem inter se vitam ducerent? Vbi Apostolis, vt septem Diaconos instituerent? vbi Petro, vt Ananiam, & uxorem illius Sapphiram, propter fraudem factam morte mulcarent? Vbi Paulo, vt incestum Corinthium Sathanae traderet? Vbi Matthæo, Marco, Lucæ, & Ioanni, vt Euāgelij historiam contexerent? Sed in re clara nimis fortassis videor, præsertim cum suo ipsorum gladio aduersarios iugulare hinc valeam.

ET ENIM si, vt ipsi dicunt, certumque doctrinæ suæ principium sumunt, id solùm recipiendum est, quod à DEO mandatum, ordinatum vel institutum est; quæro ab iis, vbi, quando, quibusue præsentibus Lutherò, cuius facta dictaque omnia oraculorum

V 3 loco

Hebr. 11.

Hier. 35.

Emotæ mentis
hominis est dice
re, Deum illa so-
lùm pbare, quæ
ipse mandat vel
ordinat.

Luc. 1.

Marth. 3.

Marc. 1.

Luc. 1.

Luc. 2.

Luc. 7.

Act. 2.

Act. 6.

Act. 5.

1. Cor. 5.

Lutherus incestis nuptiis pollucus.

Lutherus innumera fecit et docuit, & scripsit & citra & cōtra manifestum Dei mandatum.

loco habent, à D E O iniunctum est, vt sacratissimo religionis vinculo nefario ausu perrupto proculcatōque, perpetuæ castimoniz voto obstrictam incestis nuptiis pollueret? aliisque, vt idem sacrilegium admitterent, auctōr esset? Vbi & quando, vt augustissimum altaris Sacrificium, omnesque Ecclesiasticos ritus & ceremonias abrogaret? sacrorumque Canonum volumina publicè incenderet? Vbi, vt Principes, politicōsq; magistratus ad monasteriorum euerfionem inflammaret? Vbi, vt Catholicam Ecclesiam, summumque eiusdem antistitem tot maledictis, conuitiis, & calumniis appeteret, quot plaustrum vix portaret? Vbi tandem, vt tot doctrinæ portentia sectasque, quot post C H R I S T V M natum simul extiterē nunquam, in orbem inueheret? omnesque, qui in illa non iurarent, Sathanae deuoueret? Neque enim dicere possunt, occulto diuini Spiritus instinctu id fecisse. Constat namque, D E V M non esse auctorem sacrilegiorum, dissidiorum, sectarum, hæresum, flagitiorum, aliorumque eiusmodi; verum pacis, concordia, modestia, continentia, patientia, cæterorumque, quæ non ad mortem; sed ad vitam, veramque beatitudinem viam muniunt. Similis quæstio de omnibus sectariorum ritibus, legibus, & ceremoniis moueri posset. Certum est enim, quicquid contra Ecclesiam, eiusdemque morem, & fidem faciunt, dicunt, aut instituunt, hoc totum citra D E V M, omnique eiusdem mandatum facere, dicere, ac instituere. Iam si Antagonistæ priuata Lutheti, aut Zuuinglij, vel cuiuscunq; alterius sectici magistri placita vitro complectuntur; omnesque, qui salute potiri volunt, amplecti debere vociferantur, quæ tamen ad eò nullum D E I mandatum habent, vt cum D E I lege, publicaque honestate sæpenumero pugnent; cur Ecclesiæ sanctiones repudiant, easdemque veluti superstitiosas condemnant, quæ magna sanctimonia pollent, suamque à C H R I S T O ipso auctoritatem habent?

Christus nulli alimenti genus inhibuit, sed neque inhibere quoque debuit.

AT nullum, assumebant, C H R I S T V S Redemptor noster alimenti genus inhibuit? Fatemur, nullum absolute inhibuisse, sed nec vllum quoque absolute inhibere debuit. Nam si quod absolute inhibuisset, nullo tempore, nulla urgente necessitate, illo vitlicuisset, adeoque ipso auctore aliquod prisca legis vestigium in noua lege adhuc reliquum fuisset; hoc autem nullo modo conueniebat: Quandoquidem cum cibi in veteri lege prohibiti, maiorem

tem partem quoddam futurorum symbolum præ se ferrent, si quod ex ea inhibitione membrum remansisset, aliquid, quod per CHRISTVM nondum expletum esset, etiamnum superesse suspicari licuisset. Ea autem suspicio magnam, infirmis præsertim, errandi occasionem subministrasset.

SED & hæc quoque ad ciborum delectum viam aperuit, quatenus ieiunium verbo & exemplo approbavit, sponsoque ablato, illud in Ecclesia DEI vsurpatum iri certò prædixit. Siquidem legitimum Ecclesiæ ieiunium citra ciborum delectum constare omnino nequit. Ad hæc licet CHRISTVS nullam escam absolute prohibuerit; attamen ob speratam vtilitatem, vel occurrentem necessitatē à quibusdam abstinere vnicuique liberum reliquit. neque hoc in quaestione cedit. Iam si singulis Ecclesiæ membris, modo vtilitas id sua deat, vel necessitas aliqua id postulet, integrum est, à quibusdam abstinere; imò verò iuramento vel voto, quæ non minus ligant, quàm publicæ leges, ad quorundam abstinentiam perpetuò, vel ad tempus se obstringere: cur Ecclesiæ legitimæ eiusdem magistratui, ob causam toti Reipub. Christianæ vtilem vel necessariam, certam de abstinentia sanctionē, quæ fideles omnes obliget, edere non liceat?

MIRVM profectò esset, politicum magistratum leges, quæ fini, quem sibi præfixum habet, seruiant, ferre, subditosque ad fidam eandem obseruationē sub graui pœna obligare posse, Ecclesiam autem decreta vel Canones, quæ in finem, in quem ipsa tendit, conferant, edere non posse. Nunquid ciuilis potestas maior, aut sanctior est Ecclesiastica? nequaquam. Etenim, vt de illa scriptum extat: *Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi damnationem sibi acquirunt.* item: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter DEVM: siue Regi tanquàm præcellentem; siue ducibus tanquàm ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum,* ita de hac: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* item: *Si te non audiuerit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus.*

IMò verò quò Ecclesia illustriorem finem sibi præpositum habet quàm Respubl. (huius enim finis est ciuium pax, rerum ad humanæ vitæ conseruationem necessariarum copia, aliæque eiusmodi; illius verò, gratia & vita æterna) eò huius leges arctiori vinculo obligant, quàm illius. Nulla est itaque consecutio: CHRISTVS nullum alimenti genus inhibuit: ergo Ecclesia vel eius

Christus ad ciborum delectum viam muniuit.

Ecclesia potest edere leges toti Reip. Christianæ vtilis vel necessarias. Ineptum est dicere, Reipub. aliquam leges obligatorias concedere posse. Ecclesiā non posse.

Rom. 13.
1. Petr. 2.

Luc. 10.
Matth. 18.

Ecclesiæ leges certa quadam ratione arctius obligant quàm politica.

Vica-

Vicarius nullum inhibere potuit, aut debuit. Sicut quoque non sequitur: hoc vel illud iure diuino, vel naturali non est inhibendum aut præceptum; ergo Princeps vel alius legitimus magistratus inhibere, vel mandare non potuit, aut non debuit: Alioqui enim politica & Ecclesiastica leges ad vnum omnes nullarum profus virium existerent; vt quæ omnes de rebus suapte natura indifferentibus caueant. Quamuis ergo CHRISTVS de ciborum delictu, de ieiunio, de festis, de quæ aliis id genus ritibus & cæremoniis peculiare leges non edidit, attamē Vicariis suis, vt pro locorum, temporum, ac personarum qualitate eiusmodi leges conderent, plenam auctoritatem reliquit.

Leges humane feruntur de rebus sua natura indifferentibus.

Matth. 15.
1. Timo 4.
Ad Tit. 1.

Ecclesia eiusque praxis optima rerum in fide vel moribus controuersarum interpretat.

Li. 31. c. 4. cont. Faust.

Genes. 1.

Omnia munda natura, sed non significatione.

SCRIPTURAE porro, quas ad assumpti confirmationem Antagonistæ allegabant, illæ si quid probant, vnum id solum probant, quod integro capite iam dudum antè probatum & constitutum est; nempe nullum cibum ex se immundum, aut lege aliqua vt talem, inhibendum esse. Hoc vnū enim & aliud nihil probat illud CHRISTI: *Non quod intrat in os, coquinat hominem.* & illud Apostoli: *Omnia DEI creatura bona est.* & illud item eiusdem: *Omnia munda mundis; coquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.* Quòd autem hæc vera germanaque harum Scripturarum sit sententia, id præter Ecclesiæ praxin, quæ optima rerum in fide & moribus controuersarum interpretat, ea, quæ loca hæc citata proximè antecedit & consequuntur, clarè ostendunt, confirmantque illustres veterum Theologorum in eadem loca explanationes.

AUGUSTINVS: Cùm Apostolus ait: *Omnia munda mundis, naturas ipsas intelligi voluit, quas DEVS creauit, secundum illud, quod Moyse in Genesi scripsit: Et fecit DEVS omnia, & ecce bona valde: non significationes, secundum quas DEVS per eundem Moysen ab immundis munda discreuit. Vnde quia multa, & multis locis iam diximus, nunc breuiter admonuisse suffecerit. Proinde illos, qui iam tempore reuelationis noui Testamenti adhuc illas umbras futurorum ita custodiendas putarent, vt sine iis gentes salutem, quæ in CHRISTO est, percipere non posse contenderent, immundos dicit Apostolus, quòd carnaliter saperent: & infideles, quòd tempus gratiæ à legis tempore non fecernerent. Quibus ideo dicit, nihil esse mundum; quia & iis, quæ respuebant, & iis, quæ sumebant, nec sanctè, nec iustè utebantur, sicut omnes quidem*

quidem infideles, & vos præcipuè Manichæi, quibus omnino nihil est mundum. Et paucis interiectis hæc subiungit:

OMNIA ergo munda mundis secundùm naturam, in qua creata sunt, non tamen omnia secundùm significationem primo populo Iudæorum. Nec vobis omnia, vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis apta sunt, sed cum sua cuiq; redduntur, & naturalem ordinem seruant. Omnia munda mundis, immundis autem & infidelibus, quales vos præcipuè estis, nihil est mundum. Et exponens illud: In nouissimis temporibus &c. ita ait: Hos propriè designat, qui non propterea temperant à cibus talibus, vt aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant; sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem DEVM esse negant. Hæc Augustinus; cui sectarij inter omnes Scripturarum interpretes primas deferunt, seseque in illius auctoritate esse vbique vociferantur.

SED nunquid solus Augustinus nobiscum hîc facit? minimè gentium. Facit etiam Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, & alij plerique veteres recentisque Theologi. Hieronymus: Reprobatur Apostolus eos, qui iubebant à cibus abstineri, quos DEVS creauit ad vtendum cum gratiarum actione; sed Marcionem designat & Tacianum, & ceteros Hæreticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera creatoris: Nos autem & creaturam omnem laudamus DEI, & maciem faginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. Ambrosius in eundem locum: Manichæi & CHRISTVM negant, & nuptias prohibent, & abstinentiam à cibus tradunt. Chrysostomus ad idem caput: De Manichæis, Encratitis, & Marcionistis, & omnium officina loquitur. Horum expositionem ad vnguem sequuntur Theodoretus, Cyrillus Hierosolymitanus, Aquinas, Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, & alij recentiores. Nihil est ergo, quod Hæretici vel hunc, vel alium quemcunque similem locum Catholicis obii-
ciant.

SED dicis, si cibus, qui in os ingeritur, hominem non coinquinat, vt CHRISTO, veritate ipsa attestante non coinquinat, quid est ergo, quod manducantem contaminat? Aliud nihil sanè,

X
quàm

Eod. cap. & lib.

1. Timoth. 4.
Cont. Adiman.
c. 14.

Li. 2. contr. Ioni.

Ambros.

Chryf. hom. 12.

Cibus hominẽ
nõ contaminat,
sed mala volun-
tas, vel cibi abus-
sus.

- quàm iniquus vel improbus illius animus, qui manducat: Sine ea iniquitas vel improbitas inde proueniat, quòd sciens volensque cibo suo proximum offendat; siue quòd contra legem vel conscientiam eundem ingerat; siue quòd alia quacunq; ratione contra legitimum cibi vsum committat. Perdidit Adamum vniuersamq; eiusdem posteritatem pomum, non quòd pomum illud ex se mortiferum esset; alioqui enim omne pomum mortem adferret; sed quia contra expressum DEI mandatum vsurpatum fuerat.
- Genes. 3. Sic Esau quoque non ipsa per se esca criminis reum fecit, sed esca nimis auidè, hoc est, vsq; ad sacramenti contemptum petita. Sic tandem Hebræum populum non volucris, sed murmur contra DEVM, & manne contemptus in grauissimum vite salutisq; discrimen adduxit. Idem statuatur de reliquis, qui contra præceptum, vel contra decorum manducant, vel manducarunt aliquando. De hac coinquinationis ratione D. Augustinus alicubi ita scribit:
- Tract. 73. in Ioan. FASTIDIEBANT Israëlita, quod habebant, & quod non habebant, impudenter petebant; quasi non melius peterent, non vt cibus, qui deerat, indecenti desiderio præstaretur, sed vt ille, qui aderat, sanato fastidio, sumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potius DEVM, vt delectent bona, quàm vt concedatur mala; Non quia malum est, carne vsoci, cum de hac re Apostolus loquens, dicat: *Omnis creatura DEI bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.*
1. Tim. 4. sed quia, sicut idem ipse ait: *Malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Et si per hominis offensionem, quantò magis DEI? Cuius in Israëlitis non parua erat offensio, repudiare, quod dabat Sapientia, petere id, quo inhiabat concupiscentia: quamuis illi nec peterent, sed quia deerat, murmurabant. Sed vt sciremus, non DEI creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, sed propter pomum primus homo mortem inuenit. Et Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Et hæc ad ea, quæ contra ciborum delectum ex Apostolo adferebantur.
- Genes. 3. Genes. 25. AD illud autem Lucæ: *Manducate, quæ apponuntur vobis,* respondetur primò, his CHRISTI verbis, si contextus, vnde hic locutus est, accuratè, vt par est, discutiatur, ciborum delectum in Catholica Ecclesia vnitatum nequaquam oppugnari, sed vagandi, deque
- Rom. 14. Luc. 10. Lege Ambrosii. 6. ad cap. 9. Luc.

dēq; domo in domum ventris, causa transeundi, ansam Aposto-
lis, eorundemq; sectatoribus præcindi. Respondetur secundo,
hæc iis dicta indultaque fuisse, qui eiusmodi populo Euangelium
denunciaturi erant, qui ciborum delectum ad superstitionem vs-
que seruabat. Neque enim vllum omnino periculum erat, ne Iu-
dæi, ad quos solos per id tempus Euangelizatum mittebantur,
aliquid, quod per Moyfi legem interdictum foret, apponerent.
Sed neque dubitandum est quoque, si quid fortè eiusmodi appo-
suissent, frustra apposituos fuisse. Certū est enim, Apostolos re-
ligiosè ab omni eo abstēturos fuisse, quod lex profanum censuis-
set. Nisi enim ita comparati fuissent, Petrus post acceptum Spiri-
tum sanctum, ad mactandum, & quiduis promiscuè manducan-
dum inuitatus, nunquam diciturus erat: Absit Domine, quia nun-
quam manducaui omne commune & immundum.

RESPONDERI tertio potest, hoc CHRISTI dictum, mul-
taque id genus similia, non absolute aut præceptiuè exponendum
esse, sed commodè & permissiuè. Neque enim vult ille, multò ve-
rò minus iubet, vt quæcunque tandem apponuntur, ea simplici-
ter manducant; facit autem iis facultatem, vt ex apposis ea acci-
pant, quæ accepta animum aut corpus non lædant. Vt ergo ab iis
abstinendum est, quæ valetudinem offendunt, esto secundum se
mala, aut inhibita non sint, ita etiam ab iis, quæ conscientiam quo-
uis modo vulnerant, aut contaminant. Qualia utique sunt ea om-
nia, quæ pro temporis ratione lege aliqua prohibita sunt, aut
sumpta proximum offendunt. Quod porro eidem illi loco ex Pau-
lo, quasi cognatum adiiciebatur, hoc iam antè solutum est, neque
alia solutione, aut expositione indigens est. Solū enim probat,
nihil secundum se immundum esse, ne illud quidem, quod idolis
est immolatum, aut per Moyfi legem veluti commune vel immū-
dum proscriptum; adeoq; scandalo, maiorumq; statuto semoto,
quibuslibet hoc rerum statu vesci licere, quod verum est, & sæpe
iam antè concessum est. At de primo Argumento satis.

SECVNDVM ANTAGONISTARVM

Argumentum.

Nihil recipi debet, quod cum superstitionis, aut erroris,
aut valetudinis periculo coniunctum sit; atqui ciborum delectus
omnia hæc incommoda secum trahit: Nā & per se sapit quiddam
X 2 Iudai-

Quis sensus hu-
ius Christi: Man-
ducate que appo-
nuntur vobis.

Act. 10.

Vt ab iis abstinē-
dum est, que cor-
pus lædunt, esto
mala nō sint, ita
etiam ab iis, que
animā offendūt.

Judaicum; & rudes, vt escas quasdam ex se malas vel immundas esse credant, certa quadam ratione inducit; & eos tandem, qui ea, quorum in legitimis ieiuniis vsus esse solet, non ferunt, non parum offendit. Satius proinde videtur, omnia omnibus promiscuè permittere, quàm aliquid eorum, quæ in humanæ vitæ vsu veniunt, cum tanto damno prohibere.

SOLVTIO II. ARGVMENTI.

ET hæc quoque ratio membrorum numero ad victoriam nititur magis, quàm rerum pōdere. Nam ad primum quod spectat, nihil nobis cum Iudæis, multò verò minus cum Manicheis, aut Tacianis, aut aliis quibuscunque hæreticis commune est. Ecquid enim negotij est Christiano homini cū solidis aut multifidis animantium vngulis, aut cum auibus rapacibus, aut cum piscibus squama non contectis, aut cum cæteris à Iudæorum mensa proscriptis? Nihil quicquam; neque enim nos temporum, aut ciborum differentiis insistimus, quò futurum aliquid designemus, aut in moribus erudiamur, aut valetudini consulamus, quæ causæ abstinendi Iudæis erant præpositæ; verùm omnia ad DEVM & Spiritum referimus: quippe qui in hoc abstinendi, vel discernēdi genere aliud nihil spectemus, quàm vt laborum nostrorū interualla diuinorum beneficiorum commemorationi consecremus; nosq; per carnis abstinentiam, ad eadem illa beneficia recolenda vigilantiores paratioresque reddamus; & eam tandem, quam par est, Ecclesiæ obedientiam, proximòque ædificationem præstemus.

AT siue hac, inquis, siue illa, siue alia quacunque de causa à quibusdam abstineas, ea tamen abstinentia non aliunde, quàm à Iudæis originem trahit? Istud iam negatum est, & rectè negatum est: Aliud enim nos nostra abstinentiâ spectamus, aliud olim Iudæi. Hebræi adhæc perpetuò à quibusdam abstinebant, nos ad tempus tantum. Sed & dato quoque, à Iudæis ad nos fluxisse, nunquid ob id statim est Iudaica, aut veluti Iudaica explodenda? minime verò. Non ideo negligendum est, scribit Leo Magnus, quia de obseruantia veteris legis assumptum est, tanquam hoc ex illis sit, quæ inter discretionēs ciborum, inter baptismatum differentias, & auium pecudumque hostias esse destiterunt. Illa enim, quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quæ significauerunt, finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem noui Testamenti gratia

Mu' cūm intercedit inter Iudæorum & Christianorum abstinentiam. Triplici de causa Iudæi à quibusdam abstinebāt.

Cur Christiani statim temporibus à quibusdam escis abstineant.

Ser. 4 de ieiun. 4. mens.

non remouit; & continentiam corpori & animæ semper profuturam, pia obseruatione suscepit. Quia sicut permanet apud intelligentiam Christianam: *Dominum DEVM tuum adorabis, & illi soli seruias, & Diliges proximum tuum sicut teipsum, & cætera* talium mandatorum; ita quod in iisdem literis de ieiuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. Hæc Leo; quibus aperte indicat, cum ieiunium, tum ciborum delectum, ut quidem ad ius naturæ pertinent, etiamnum robur obtinere, ut verò ad veteris legis ritus & cæremonias, iam dudum exoleuisse.

INFRÀ idem Pater & Pontifex clariùs ea de re differit: Cum vos, ait, dilectissimi, ad quædam, quæ etiam in veteri Testamento instituta sunt, adhortamur, non Iudaicæ vos obseruantia iugo subdimus, nec consuetudinem vobis carnalis populi indicimus. Excellit super illorum ieiunia continentia Christiana; & si quid illis & nobis commune est in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi sua nudipedalia, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia; nos in nullo ad habitus nostri honestatem dissimiles, nec à iustis & necessariis operibus abstinentes, edendi licentiam simplici parcitate cohibemus, ut in vsu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur. Nihil est ergo quod Iudæorum superstitionem nobis hoc loco obiiciant aduersarij.

QVOD porro de erroris periculo, vel præpostero rudium iudicio adiungunt, id tanti roboris est planè, quanti quod de Iudaica superstitione allegabatur, hoc est, nullius penitus. Etenim nemo mentis compos, quo omnes promiscuè, etsi non semper, uti vesciue cernit, id ex se malum, aut immundum facillè iudicauerit. Et ut maximè talis quispiam comperiretur, non ob id statim lex ad vtriusque hominis salutem tantopere utilis & necessaria abroganda esset, sed simplicium ruditas erudienda. Extât enim quàm plurimæ aliæ sanctiones & leges Reipublicæ Christianæ necessariae, quarum tamen rationes idiotæ perspectas non habent, nec ut perspectas habeant, vllum est operæ precium: sat illis est, si maiorum legibus & institutis parendum esse non ignorent. Et quod de falsa simplicium opinione; vel de errandi occasione hîc dicitur, hoc de præuaricatorum multitudine dictum quoque accipiat. Quandoquidem lex de ieiunio, vel ciborum delectu promulgata,

Deut. 6.

Matth. 22.

Ieiunium & abstinentiam iure naturali fundata.

Ser. 7. mens. 7.

Non est necessarium, ut subditi legum ratione teneant; sed satis est, si iustis legibus parendum intelligant.

mulgata, ideo est abroganda, quia rudes illius vim non assequuntur, vel quia multi passim in eandem præuaricantur, nulla omnino humana lex aut constitutio tuta erit: Imò ne ipse quidem decalogus. Constat enim, quàm plurimos cõtra illum committere, intimamq; eiusdem rationem omnino non penetrare.

Abstinentia cõferret valetudini & vitæ diuturnitati.

Est vitæ mortalium existit maior, quò vitæ luxuriosæ minor,

Lib. de Virg.

Daniel. 1.

Admirabiles ieiuniorum & abstinentiæ vires.

VTROQUE ineptius est, quod de valetudinis offensione tertio loco adiciebatur. Communis enim sapientum vox est, quæ certæ quoq; experientiæ fides manifestè confirmat, abstinentiam bonæ valetudini vitæq; diuturnitati plurimum conferre. Etenim ante diluuium, cum nullus, ut quibusdam placet, vel infrequens admodum vini & carniûs usus erat, viuebatur ad octingentos & nongentos annos: Postea, rerum luxu paulatim gliscente, decreuerunt etiam vitæ anni, adeò ut hac ætate multo plures comperiuntur, qui ante trigessimum, vel quadragesimum, vel quinquagesimum ætatis annum diem suum obeant, quàm qui septuagesimum, vel octuagesimum, vel nonagesimum attingat. Sed & Eremitæ quoque, qui austerissimam viuendi rationem tenebant, in multos annos sani & incolumes vitam producebant. Quòd si qui eam vitæ diuturnitatem alteri causæ adscribendam existimèt, cum iis non pugnamus. At scimus interim, præter quotidianam experientiam, complures graues Theologos & Medicos & Philosophos à nobis stare, & inter hos quoque D. Athanasium. scribit is autem in hunc modum:

QVOD si accedant aliqui & dicant tibi, ne frequenter ieiunes, ne imbecillior fias: ne illis credas, nec auscultes. Istos enim diabolus subornat. Reminiscere eius, quod scriptum est, quod cum Daniel & tres pueri capti essent à Rege Babylonis Nabuchodonosore, & alij pueruli vnà cum iis, iussuq; esset ab eo, ut de sua regia mensa comederent, & de suo vino biberent, Daniele & tres pueros noluisse saturari ex mensa regia, & ad Eunuchum dixisse: Da nobis de seminibus terræ, & vescemur, deditq; illis legumina ad cibum, & aquam ad potum. Et produxit eos ad Regem, & visæ sunt species eorum eximia super eos, qui ex mensa regia vescabantur. Vide igitur quid ieiunium faciat, morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, mentem nitidiorem, corp purgatius, corpus reddit salubrius. Hæc ille aliaque complura in eandem sententiâ. Quare non est, ut valetudini suæ metuât, qui moderatè abstinent.

SE D

SED & posito quoque, abstinentiam valetudini aliquod detrimentum adferre, non ideo tamen hinc statim desistendum foret: Siquidem damnum illud per spiritalia emolumenta, quæ inde proueniunt, multis modis compensatur: licet autem modicum aliquod incommodum, propter maius commodum subire. Præterea si licitum est, lucri, honoris, alteriusue externi boni causa peregrinari, rus colere, literarum studiis assiduò insistere, aliisque duris continisque laboribus incumbere, quæ omnia sua natura humidum radicale viresque corporis exhauriunt, adeoque aliquot necessariò dies vitæ adimunt; cur pietatis causa nefas erit ieiunare, vel à cibo vitam producere nato abstinere? Certè si id peccatum esset, sancti tam duram vitæ rationem in solitudine nunquam iniissent; neque alios ad iugem carnis mortificationem tantopere animassent. Nam è terra radicibus, crudisque oleribus victitare, noctes totas in oratione & sub dio transigere, flagris catenisque; carnem subinde concidere, aliaque eiusmodi edomandæ carnis causa præstare, qualia illi communiter præstabant, si rerum naturam, non DEI gratiam spectemus, non potest de vitæ spacio aliquantum non amputare.

FATEOR tamen, ieiunium vel abstinentiam indiscreta esse non debere: hoc est tanta, vt morbum non leuem, vel vitæ periculum non vulgare adducant, vel sensuum vigorem, vel rationis aciem labefactent, vel aliquod aliud eiusmodi corpori vel animo malum vel periculum procreent. Non enim licet seipsum occidere, aut mutilare, aut grauitè lædere, aut ad munia, quæ ratione officij vel status, incumbunt, inutilem reddere. In idem autem redit, magnòne an paruo tempore te perimas, aut mutiles, aut ad omnia inutilem reddas. Et quod de ieiunio vel abstinentia sponte suscepta hic asseritur, hoc ipsum etiam de ieiunio vel abstinentia præcepta assertum accipiatur. Ecclesia enim vel monastica professio ieiunium vel abstinentiam indicens, non eo rigore illud indicit, sicut nec indicere quoque potest, vt homo eorum causa graue aliquod animi, vel corporis, vel status incommodum incurrat.

Aliquid incommodi propter maius commodum tolerandum.

Non est peccatum ea tractare, vel tolerare, quæ vitam suam natura abbreviare nata sunt.

Abstinentia non debet esse immoderata, hoc est, tanta, vt animo vel corpori detrimētum adferat non vulgare.

TERTIVM

TERTIUM ADVERSARIORUM
Argumentum.

1. Cor. 10.
Coll. 2.
Rom. 14.
Gal. 5.

INSTANT tertio eiusmodi argumentatione. Illicitus est omnis cultus, qui cum DEI verbo, aut cum libertate, quam sua morte CHRISTVS nobis peperit, pugnat: at ciborum discretio cum utroque pugnat; scriptum est enim: *Omne, quod in macello venit, manducate.* Item: *Nemo vos iudicet in cibo & potu.* Item: *Qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Tandem: *Vos in libertatem vocati estis, fratres &c.*

SOLVTIO III. ARGVMENTI

Cujusmodi sit
Christiana li-
bertas.

QVO hæc Apostoli dicta pertineant, ex iis, quæ iam antè ex Augustino, & aliis Patribus in medium allata, & ex locis rursus, vnde petita sunt, absque vlla difficultate colligi potest. Nullum est enim, quod integrè citatum, suam solutionem secum non adferat. Primum nullam non escam sua natura mundam esse docet: Addit nihilominus ab idolothytis abstinendum, ne pusilli aliquid inde offendiculum capiant. Secundum neminem ea de causa in ius vocandum prædicat, quòd Iudæorum sabbata, neomenias, festa, ciborumque discrimina non seruet. Tertium temeraria iudicia, cæteraque, per quæ infirmi offendi facillè poterant, vetat. Quartum & postremum, ad qualem libertatem vocati sint Christiani, explanat. Neque enim Christiana libertas, facultas est nihil agendi, aut perperam agendi: nam nihil agere, aut malè agere non est Christianorum, sed dæmoniorum & hominum otiosorum. Est autem quædam immunitas à seruitute peccati, à tyrannide diaboli, ab onere & obseruatione veteris mandati. Ab his enim omnibus per CHRISTVM liberati sumus, non vt otiosè aut luxuriòsè ætatem transigamus; sed quò in iustitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ ipsi seruiamus. In summa Christiana libertas non est libertas carnis, sed spiritus.

Galat. 5.

VNDE id habes? Ex illo ipso loco, quem ex Apostolo citant. Scribit enim: *In libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasione detis carnis; sed per charitatem spiritus seruite inuicem.* & paucis interiectis subdit: *Dico autem in CHRISTO; spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus*

uersus carnem. Et ne clam esset, cuiusmodi fructus hinc inde pro-
ueniant, quidue inter carnem & spiritum intercedat, rursus sub-
iungit: *Opera carnis sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,*
idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, amulationes, iræ, rixæ,
dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.
Fructus autem spiritus est, Caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas,
bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas &c.

Ut carnis & spi-
ritus opa inter
se sunt admodum
dissimilia, ita e-
tiam carnis &
spiritus liber-
tas.

Si ergo Apostoli doctrinam sequimur, Christianam vel spi-
ritus libertatem nequaquam constituemus in fornicatione, aut
immunditia, aut impudicitia, aut luxuria, aut sectis, aut dissen-
sionibus, aut ebrietatibus, aut comessationibus, aut id genus aliis,
quæ maximè vigent apud noui Euangelij præcones, carnalis-
que libertatis assertores; (Fatentur enim, qui primatum inter il-
los obtinent, nusquam gentium plures scurras, adulteros, bla-
spheinos, helluones, ebriosos, impostores &c. inueniri, quàm in
illis ipsis locis & oppidis, vbi nouum illud Euangelium profemi-
natur) sed in modestia & castitate, in fide & charitate, in beni-
gnitate & mansuetudine, aliisque similibus virtutibus, virtutum-
que officiis, quæ res apud sectarios sunt admodum raræ. Non
diffiteor, multa ex iis apud multos quoque Catholicos desidera-
ri; verùm inter hos & illos hoc interest, quòd apud hos esse que-
ant, & sæpe esse soleant; apud illos autem esse non possunt; qui-
pe qui omnium verarum virtutum fundamento destituantur. Ie-
iunium itaque & abstinentia Christianam libertatem non infir-
mant, sed promouent; vt quæ vitia comprimant, mentem ele-
uent, virtutem largiantur & præmia.

Maxima carnis
licentia apud se-
ctarios.

Greg. in præf.

ARGVMENTVM QVARTVM
eiusdemq; solutio.

SCRIPTVRARVM præsidio destituti, ad priuatorum quo-
rundam hominum facta & dicta confugiunt. Inter cætera au-
tem allegant, Spiridionem virum alioqui pium & sanctum hospiti,
qui ieiuniorum die ad ipsum fortè diuenterat, suillas carnes appo-
suisse; tùm Alcibiadem quoque ab Attalo illustri martyre, quòd à
carnibus abstineret, reprehensum. Verùm vtrumque exemplum
nequicquam & deprauatè quoque allegant. Sozomenus de Spi-
ridione

Li. 1. ca. 19.

Y

Spiridion statis
tandem Quadra-
gesimæ diebus
cibum sumebat.

ridione ita scribit: Cùm instaret Quadragesima, ex itinere quidam fortè ad eum venit illis ipsis diebus, in quibus vnà cum suis ieiunia peragere consueuerat, & ad statum diem cibum degustare, cùm interpositis diebus sine cibo omnino remansisset. Cùm-que Spiridion vidisset hospitem valde de via fessum, age, inquit, ô filia, primùm viri huius pedes laua, deinde ei cibum appone. Vbi verò respondit virgo, neque panem in ædibus esse, neque polentam. (Superuacanea namq; fuisset istarum rerum apparatus propter ieiuniū) Spiridion cùm precibus DEVM inuocasset, veniam-que petiuisset, dedit mandatum filia, vt carnes suillas, quas fortè in ædibus habebat, sale conditas coqueret. Quibus coctis hospitem fecit secum accumbere, de-que carnibus apposis comedere cepit, hortatur hospitem, vt ipsum imitetur. Qui cùm illud facere recusaret, diceret-que, se Christianum esse: hanc ob causam, inquit Spiridion, minus recusare deberes; nam omnia munda mundis sacrae litera pronunciant.

HÆC Sozomenus. quæ si rectè expendantur ciborum delictum magis confirmant, quàm infirmant: Constat hinc enim, Spiridionem non temerè suillas apposuisse, sed precibus munitum, euidentique necessitate compulsum. Nihil enim in ædibus aliud erat, quod peregrino fame exhausto, & oppidò lasso apponi posset. Qui tamen, ingenti fame & lassitudine non obstante, animosè allegat, se Christianū esse; neq; tali tempore tali esca vesci posse. Expugnat tamen repugnantem & carnes comedere detrectantem insignis Spiridionis charitas, euidentique, qua premebatur, necessitas. Nihil est igitur, quòd aduersarij Spiridionis factū nobis obiecerent. Nam quod Spiridion tunc fecit, hoc Ecclesia, simili vrgente causa, omnibus facere permittit, permittitq; semper. Adde, non totum id sanctum & imitabile esse semper, quod faciunt sancti perfectique viri: Nam Spiritus sanctus ita ipsos regit & agit, vt interdum quoque in aliqua errata labi permittat. Quare etiam Spiridion quasi facti sui rationem non satis exploratam habens, oratione se præmunit, veniam-que, si quid forsan erraret, humiliter petit. Nulla est itaque hæc consecutio: Spiridion vel alius quis hoc vel illud fecit, vel dixit: ergo rectè fecit vel dixit; tametsi Spiridionem rectè fecisse nihil ambigam.

AD Alcibiadem porrò quod attinet, fatemur, ab Attalo illustri

Nō est hominis
Christiani citra
necessitatem ve-
sci carnibus in
Quadragesima.

Nō totum sem-
per sanctum &
imitabile, quod
faciunt sancti.

stri martyre reprehensum fuisse; at negamus ob id hoc illi accidisse, quòd à carnibus abstineret. Nam & Iohannes Baptista à carnibus & vino perpetuò abstinuit, & multi ante, & post ipsum abstinerunt, nec ob id tamen peccauerunt, aut ab aliquo notati sunt. Reprehensus est autem, quòd cum aliorum offensione, & cum nonnullo quoque errore & superstitione abstineret. Tenebatur enim eo errore, quo multi alioqui fideles per id tempus adhuc tenebantur; nempe cibos quosdam esse, quibus vesci propter immunditiam vel Mosaicam prohibitionem nefas esset. Hic autem sensus falsus & reprehensione dignus erat. Quòd dicimus, ex historiae serie clarissimum est. Neutrum proinde exemplum, aut veritati, aut instituto nostro quicquam omnino aduersatur.

*ARGVMENTVM QVINTVM
& postremum.*

AT nondum cauillandi finem faciunt homines inquieti; obliuiscunt enim; si à carnibus est abstinentum, quòd caro spiritui subiugetur, Satanæq; regnū in nobis debilitetur, itidem à vino, ovis, marinis beluis, multisq; aliis libidinis ardorem incendere natis, abstinere oportebit: at ab illis non abstinetur, ne apud eos quidem, qui ceteris sanctiores haberi volunt.

SOLVTIO POSTREMI ARGVMENTI.

SANE in primitiua Ecclesia, & multos annos postea ieiunantes, Quadragesimæ præsertim tempore, non solum abstinebant à carne, vino, ovis, lacte, caseo, marinis beluis, gradioribusque piscibus; sed à quibusdam quoque terræ fructibus. Notum est enim illud Augustini: Catholici non hæretici edomandi corporis causa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes. Et illud rursum eiusdem:

CESSENT lauacra, vina, & carnes, non quòd creaturam DEI iudicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies viuamus Domino. Et illud item Gregorij: Ceterum piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis

Lib. 5. ca. 3.

Cur Alcibiades ab Attalo reprehensus,

Alcibiades per errorem à carnibus abstinebat,

Christiani quòdam non modò à carnibus, verum etiam à quibusdam terræ fructibus in Quadragesima abstinebant.

Lib. 30 cap. 5. contra Faust.

Ser. 65. de temp.

Deniq; d. 4.

Epistola ad Paulinum.

In ieiunij rigore temporis lapsu magna est facta remissio.

Satius salutaris legis rigore remittere, quam totam legem abrogare.

Carnes carnem magis saginant, quam vini potus.

Vini vsus raro vniuersè prohibetur, etiam ieiuniorum tempore.

Aque potus plerisque parè gratus.

Math. 4.

Quò plura inflàmata còeunt, eò flamma exurgit maior.

mitatis solatium, non luxuriæ pariat incendiù. Deniq; qui à carne abstinent, nequaquã sumptuosiora marinarum beluarum còuiuia præparent. Et illud tandem Hieronymi: Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina, interdumq; pisciculos pro summis ducas deliciis. Verùm vt in alijs ieiunij partibus ob humanã imbecillitatem, aliasq; causas magna temporis lapsu facta est remissio; ita etiam in victu ciborumq; delectu. Neq; hæc indulgentia vicio verti potest Ecclesiæ; duxit enim illa & rectè duxit, satius esse, non nihil de legis rigore remittere, quam legem apprimè vtilem & necessariam prorsus abrogare.

CAETERVM cur in vini potu dispensatum sit potiùs, quam in carniù esu, non vna à Theologis & Canonistis ratio assignatur; potissima est, quòd carnes vino magis nutriant, maioremq; humorum copiã generent, adeoq; maiorem fomiti materiam suggerant. Vinum enim tametsi plusculum sumptum inflammet, facili tamè negotio euaporat. Quarè illius vsus faciliùs quam carniù indulgetur. Imò verò vini potus raro vniuersè inhibitus legitur. Nam licet feruentiores Christiani ab vtroq; abstinebant olim, à vino tñ ex priuata deuotione abstinebant veriùs, quam ex vilius præcepti necessitate. Carnes aut ieiunantibus nunquã indultè comperiuntur: vnde pleriq; omnes monachum professi à carnibus abstinent, à vino autem non item. Sed & multò faciliùs quoq; impetraueris à quopiã ieiunaturò, vt abstineat à carne quam à vino ceterisq; que cum eo cognatione habent; potus enim aque vt palato, ita stomacho quoq; minùs est gratus. Deniq; primus homo non est lapsus per potum, vini, sed per pomum; neq; diabolus CHRISTVM tetrauit per vinum, aut aliquid omnino hominem inebriare natum, sed tantùm per cibum; aiebat enim: *Dic ve lapides isti panes fiant.*

VERVM hæ postremæ rationes eiusmodi sunt ferè, cuiusmodi est aduersarij argumentum, hoc est, ponderis non admodum magni. Qualis enim est hæc consecutio: Ecclesia non prohibet vinum, vel pingues pisces, quæ ipsa etiam inflammant, carnemq; saginant, ergo nec carnes quoque inhibere debuit? Nam vt iam dictum est, hæc non æquè saginant aut inflammant ac carnes: & vt maximè ex æquo saginarent & inflammarent, adhuc tamen ratio illa nulla esset: Quandoquidem quò plura inflammantia & saginantia consociantur, eò interior flamma maior efficitur: Facilius

cilius est autem, paruam flammam superare quàm magnam. Ad hæc nemo dubitat, fatius esse, aliquid ab infirmo, vel inuito obtinere, quàm omnino nihil, legisque rigorem nonnihil mitigare, quàm totam legem refigere, hoc autem hîc locum habet. Denique quæcunque Aëriani contra ciborum delectum obiiciunt, ea, dum rectè expenduntur, eiusmodi sunt, vt rem magis statuunt, quàm euertant. Et de prima Christiani ieiunij parte hæc hæctenus: duas reliquas, quòd minùs latè pateant, paucioresque difficultates habeant, expediemus paucis.

Satiè est aliquid ab egro impetrare, quàm omnino nihil.

Ieiunium ab Ecclesia indictum constare non posse, si sæpius quàm semel interdium corpus reficiatur.

CAPVT SEXTVM.

ANTVM cœnandum vel prandendum esse, dum Ecclesiastico ritu ieiunatur, id ex perpetua, constantique Ecclesiæ consuetudine veterumque traditione, necnon ex communi doctorum hominum sensu atque consensu manifestius est, quàm ex vlla synodali aut pontificia, quæ disertis verbis ea de re edita sit, lege aut constitutione.

DE veterum consuetudine nulla est quæstio. Nihil enim hoc scribi, aut dici potest planius: *De vespera ad vesperam affligetis animas vestras.* item: *Per diem affligetis animas vestras.* Atqui non fit probabile, Iudæos, à quibus ieiunationis modus maiorem partem in nos defluxit, præceptum illud eo sensu accepisse, vt interdium quidem inediam tolerarent, nocte verò tota, Mahometanorum more, genio indulgerèt; siquidem eo ieiunationis ritu incensam DEI iram inflammassent veriùs, quàm placassent.

Leuit. 16.

Iudæi vsque ad vesperam ieiunij producebāt, ad cœque semel tantum cibū sumebant.

IGITVR per diem ieiunabant, aliasque corporis molestias sponte subibant, luce verò exacta, exhaustas ieiunio vires cibo potuque instaurabant. Id quod primos quoque Alexandria Christianos ad Iudæorum exemplum præstitisse commemorat Philo gentis illius scriptor nevtiquam ignobilis. Nullus, ait, ibi cibum, aut potum sumit ante solis occasum: nonnulli ex illis vix tertio quoque die famem sentiunt. nec desunt, qui prælauro sapientiæ epulo excepti, perdurent duplum eius temporis. Hæc ille & alia multa in eandem sententiam. Eundem ieiunandi ritum seruasse

Primi Christiani Alexandrini vsq; ad vesperam ieiunabant. Lib. de vit. cont.

Primi monachi ante noctem ieiunia non laxabant, adeoque semel tantum interdum manducabant.

Dist. 5.

Dominici dies solo refectio nisi numero à ceteris quadragesimalibus fecernuntur.

Can. 13.

Ipsam cenam vobiscum, quo Concilia & Patres veniunt, semel tantum ieiuniorum tempore accumbendum esse arguit.

Apostolicæ traditiones non minus obligant, quæ Synodorum Canonibus.

d. 11. Eccles. Iuo lib. 2.

leguntur Paulus, Antonius, Hilarion, Pambo, ceterique, qui ea ætate florebant monachi; tum reliqui religiosiores Christiani; quemadmodum capite proximo fusiùs id declarabitur. Hic hætenus tantum eius rei meminimus, quatenus certa coniectura hinc fiat, veteres, dum ieiunio vacabant, semel duntaxat cibum sumere consueuisse.

Ex iure Canonico hoc ipsum quoque utcumque confirmari potest. Nam etsi ius illud nullum ea de re peculiare statutum ediderit, tulit tamen leges, ex quibus illud non omnino obscure colligere licet. Nam de Consecratione cap. Quadragesima, seuerè cauetur ut quadragesimæ ieiunium summa cum religione obseruetur, exceptis diebus dominicis. Iam cum hi dies ciborum qualitate ab aliis non fecernantur, consequens fit, ut solo refectio numero à ceteris fecernendi veniant. Cum itaque dominicis diebus corporis vires bis cibo refici soleant, (accedit enim communi prandio cœna) rectè Caietanus & alij ex eo Canone colligunt, diebus, qui ieiunio consecrati sunt, tantum cœnare fas esse.

Hanc collectionem validè confirmat Synodus Turonensis secunda, ætate Pelagij primi in Gallia celebrata. De ieiuniis verò, habet illa, antiqua à monachis instituta seruètur, ut de pascha usque ad quinquagesimam, exceptis rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. Post quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. In Augusto, quia quotidie missæ Sanctorum sunt, prandium habeant. Hætenus Concilium Turonense. Iam si ieiuniorum tempore non licet prandere, sed tantum cœnare: Ergo semel duntaxat, dum ieiunio vacatur, cibum sumere fas erit: siquidem apud eos, qui sobriam ciuilemque vitam ducunt, moris non est cœnæ cœnam addere, aut post solis occasum sæpius comedere. Quamuis ergo ius Canonicum semel tantum ieiuniorum die accumbendum esse disertis verbis non decernat, ea tamen decreuit, unde istud minimè obscure inferre licet.

Adde non minus ea obligare, quæ ex Apostolica traditione, aut recepta maiorum consuetudine ad nos deuenerunt, quam quæ certis legibus cauta sunt. notum est enim illud Augustini Ecclesiasticarum institutionum, quasdam in scriptis, quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus; quasdam verò consuetudine roboratas approbanit vltus,

vlus, quibus par ritus & idem pietatis debetur affectus. Et illud eiusdem: In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi DEI, & instituta maiorum pro lege seruanda sunt: & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum arcèdi sunt. Et illud tandem eiusdem: Quicquid in Catholica Ecclesia tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut traditio vniuersalis, aut certè propria & particularis institutio. Auctoritate tota constringitur; vniuersali traditione maiorum nihilominus tota; priuatis verò constitutionibus & propriis informationibus, vnaquæque pro locorum varietate, prout cuique visum est, & subsistit, & regitur.

CAETERVM dum ieiuniorum diebus tantùm cœnandum esse statuitur, non est id ita scrupulosè accipiendum, quasi cuiusvis rei etiam minimæ ante vel post cœnam sumptio, ieiunij præceptum statim infringat; non ita enim res habet: Nam salua ieiunij lege cum interdium, tum vesperi quoque modicum quid, ne potus stomacho officiat, aut quò somnum, quem absque modico illo inire non poterat, inire valeat, accipere licet. Neque refert panisne id sit, an pomû, quod sumitur, an nux, an aliud quippiam eiusmodi; dummodo & modicum sit, & in fraudem ieiunij sumptum non sit.

IN fraudem autem ieiunij sumi communiter dicitur, quod famis sedandæ causa, hoc est, per modum alimenti sumitur veriùs, quàm per modum medicamenti: Quanquam & hoc modo sumptum à noxa excusari queat; nisi id forsan, quod sumitur, fuerit tantum, vt veri ieiunij rationem omnino soluat. Nulla enim consuetudine à violati ieiunij culpa purgare se possunt, qui circa meridiè pransi, noctu rursus piscibus, vel pultribus, vel aliis eiusmodi obsoniis sub nocturnæ collationis schemate vtuntur, etiam si tanta quantitate iis rebus non vtantur, vt famem plenè expleant. Nam communi doctorum hominum sententia, ea solùm tragemata ante vel post cœnam conceduntur, quæ de se ad corporis curationem ordinata non sunt, etiam si aliquam nutriendi vim habeant. Quòd si qua alia sumuntur, ea in tam parua quantitate sumi debent, vt ieiunij legem non labefactent; vel certè vt medicinæ veriùs, quàm escæ rationem subeant.

Eadem d. in his epist. 16. ad Casula.

d. 11. Catholica lib. de fide Chri.

Quicquid in Ecclesia obseruatur, aut scripturarum auctoritate, aut maiorum traditione, aut priuata quorundam institutione nititur.

Salua ieiunij lege, & ante & post cœnam modicum quid degustare licet.

Quid sit in fraudem ieiunij bibere, vel manducare.

Qualia extra prædium, vel cœnam saluo ieiunio, ieiuniorum tempore sumere liceat.

ET

Quod vesperi hoc tempore, secundum Ecclesiam indulgentiā conceditur, hoc prandium in cenā reiecto, circa meridiem accipi potest.

Novitas omnis de vitio suspecta.

Ieiunij lex complectitur tres inhibitiones.

Præcepta, quæ aliquid fieri vetant, toties noxiā adducunt, quoties solvantur.

Et quemadmodum vesperi, salva ieiunij lege, panis paululum cum vini hauſtu, aut pomum, aut aliud quodcunque eiusmodi (nisi forſan patriæ conſuetudo alicubi reclamet) ſumi poteſt; ita ſi negotiorum pondus, aut corporis conſtitutio, aut alia non leuis cauſa id poſtulet, eadem illa ieiunij lege integra, modicum quippiam circa prandium accipere licet, & noctu deinde cœnare. Nam hîc quoque reſectionis vnitas non labefactatur, & inedia ultra conſuetum tempus producitur. Quò autem ieiunium tardiùs ſoluitur, eò perfectiùs ieiunatur. Attamen quia iſtud non eſt admodum vſitatum, ſoletq; nouitas omnis de vitio ſuſpecta haberi, conſultè religioſeque faciunt, qui abſque paſtoris, aut confeſſarij conſilio, receptum ordinem non interuertunt.

AsT poſito, ieiunium Eccleſiaſticum plures accubationes, corporisue reſectiones non admittere, vt reuera non admittit, quæſtionem adhuc habet, totiùsne ieiunij legi obſtrictus peccet, quoties ſumptam ſemel cœnam vel prandium inſtaurat? Aientem partem tuentur nonnulli. præcipua illorum ratio eſt, quòd præceptum ieiunij inter ea cenſeatur, quæ aliquid fieri prohibent. (Complectitur namque tres inhibitiones, puta non eſſe veſcendum carnibus, non bis interdium, non ante horam, ab Eccleſia præſinitam) quæ autem eiusmodi ſunt, ea obligant ſemper. Conſtat enim, non ſolum peccare, qui primò furatur aut adulteratur; verùm etiam qui ſecundò, & terciò, & ſic deinceps. Addunt, tertiam & quartam accubationem non minùs contra ieiunij finem, & legiſlatoris voluntatem facere, quàm ſecundam. Æque enim tertiã alit vitium, & mentem, ne in D E V M aſſurgat, deprimit, ac ſecunda.

NE QV E rationis huius neruum euertis, inquiunt illi, ſi eos aduerſus legiſlatoris mentem, indiçtiq; ieiunij finem æquè committere dixeris, qui multum, vel opiparè comedunt, vel diu menſa accumbunt, multumue cœnam aut prandium producant, vel pinguia libidinemque inflammare ſolita obſonia mandunt, atq; eos, qui cœnam vel prandium repetunt. Nam etſi iſthac vitium non minùs alant, nec minùs quoque mentem proſternant, virtutumque vſum & incrementum præpediant, quàm menſa repetita, adeoque in hiſce vt cunq; conſpirent, in cæteris tamen non parum inter ſe diſcrepant. Etenim quoties, dum ieiunatur intra

24. horarum spacium corpus cibo reficere liceat, aut expediat, id commodè præfiniri potuit; ciborum autem qualitas, & quantitas, cæteraque vnius refecionis circumstantiæ non item; siquidem nec vna corporum omnium est constitutio, nec eadem omnium valetudo, nec idem omnium palatum. Vnde quod vni sapit, id alteri desipit; quod vni multum est, id alteri parum est; quod vni prodest, id alteri obest; Deniq; difficillimum est, quantitatis medium punctum attingere. Atque ita non est mirum, si Ecclesia alterum definiat, alterum indefinitum reliquerit.

SUNT fanè hæ rationes non prorsus contemnendæ; attamen opposita sententia non modò est mitior, sed rationi quoque conformior. Quandoquidem ieiunio altera accubatione iam sublato violatòque, nihil illius fit reliquum, quod tertia, vel quarta, aut alia quacunque auferri, violariue queat. Perinde enim res habet, ac si cui præceptum sit, ne vas aliquod frangat, aut ne præfixam metam transiliat; nam vbi vas semel confregerit, aut metam præfixam transilierit, in idem redit, in multasne partes comminuat, an in paucas; rursus multisne passibus præteruolet, an paucis tantum. Ad hæc ieiuniorum lex pœnalis est, iisque de rebus cauet, quæ sua natura sunt mediæ: siquidem bis vel ter interdum cibum sumere secundum se adiaphorum est. Eiusmodi autem leges restringi solent: nõ ergo vis illius ad quolibet cibi sumptionem sese diffundit. Denique si tertia, & quarta, & reliquæ omnes, quæ has consequuntur, essent culpæ obnoxie, notabiles earundem partes cum peccato quoque forent coniunctæ: siquidem totius & partium, vnde totum conflat, par videtur ratio; atque ita ieiunium vno die citra causam violatum permulta simul peccata adduceret, quod non fit verisimile. Agimus hinc autem de ea ieiunij præuaricatione, quæ contingit citra contemptum; nam qui secundam, & tertiam, & quartam, &c. adiungerent primæ, in Ecclesiæ contemptum, illi utique qualibet nouo peccato sese obstringerent.

AT qui ab altera sententia stant, obiicient hinc fortè: Qui post perpetuæ continentiaæ votum, matrimonium inuit, toties peccat, quoties coniugale debitum efflagitat. Sic quoque, qui certo die à vino, vel carne, vel alio quouis esculenti vel poculenti genere se abstenturum promisit, æquè dum secunda & tertia vice vinum

Z contra

Quoties ieiuniorum diebus cibum sumere liceat, Ecclesia commodè definire potuit, cibi autem qualitatem & quantitatem ceteraque eiusmodi non item.

Ieiunio per repetitam passionem soluto, nihil illi restat, quod altera solui queat.

Ieiunij lex cauet de rebus sua natura mediis.

Qui in Ecclesiæ contemptum ieiunium soluit, tot peccata committit, quot distinctos passus eodem die instaurant.

contra votum bibit, aut carnē comedit, culpæ fit affinis, ac dum primæ. Pari modo sacerdos citra facultatem, aut iustam causam sæpius eodem die celebrans, tot noxas capiti suo accersit, quot missas post primam facit. Ad eundem itaq; modum, qui ieiunium indictum violant, nō solūm prima vice peccant, sed etiam secunda, & tertia, & sic deinceps.

AD hæc paucis responderi potest, inter exempla iam allata, & plures die ieiunabili accubitus, magnam disparitatem intercedere; Nam qui perpetuo continentia voto se obstrinxit, omnem viam ad Veneris commercium sibi præclufit. Quare non solūm graui peccato se obligat, dum matrimonium initum primò consummat; sed postea quoq;, dum cōiugale debitum exigit; tenetur enim, quod in se est, semper castè viuere: per ieiunium autem non proscribitur omnis manducatio; sed certus tantūm limes manducationi præfinitur; quem qui temerè transiliunt, peccant, quia contra legem committunt. At verò semel prætergressi, & citra contemptum vltra progressi, nulla noua labe se polluant, quia ea progressione contra nullam legem committunt: Siquidem non erat illis prohibitum, ne multis passibus limitem transilirent; sed tantūm, ne in limine vel infra limitem constituti, limitem ipsum transmitterent.

DE abstinentia à vino par est ratio; nam qui certo die à vino se abstenturum promisit, is toto illo die & quauis illius diei parte ad omnem vini potum ostium sibi præclufit. Quare æquè committit, dum secundò, tertio, vel quarto vinum bibit, ac dum primò. Quod tandem de repetita sacrficatione adferebatur, illud multò pl⁹ dissimilitudinis habet, quàm similitudinis. Magis enim aduersatur mysterio & venerationi, quæ tanto Sacramento debetur, tertia salutaris hostiæ immolatio, quàm secunda; & quarta magis quàm tertia &c. Quare nisi grauis necessitas vrgeat, & tunc quoq; superioris auctoritas accedat, nulli sacerdotum fas est, bis aut ter eodem die incruentum illud altaris sacrficium offerre. Excipimus hinc diem Seruatoris nostri natalitiis sacrum; eo enim ter sacris operari licet.

SUNT qui nodi huius solutionem ex legislatoris mente, non ex schola aut scholæ argumentis petendam putent. Verūm hi (quod bona illorum venia dictum sit) principiū petunt. Siquidem

Castitatis voto obstrictus omnē viam ad Veneris commercii sibi præclufit.

Qui vini potum vel troneo voto sibi interdixit, toties peccat, quoties vinum bibit.

Citra facultatē & grāuē necessitatē nulli bis vno die sacrficium re licet.

de nulla alia re magis, quàm de legislatoris mente hîc disquiritur. Certum est enim, si Ecclesia ieiunium indicens, ita illud indicit, vt omnes epulares accubitus, præter primam ex æquo velit esse interdictos, culpæ uero obnoxios, omnes præter primum peccato fore affines. Contrà verò, si solum secundum absolutè prohibet, solum secundum cum peccato fore coniunctum. Vtrum autem horum voluerit aut velit, hoc hîc disputatur; sit autem probabile, imò verò certum est, id voluisse & velle, quod mitius quodque filiorum suorum saluti vicinius est, & à laqueis nihilominus & conscientia tris remotius est; cuiusmodi id est, quod posteriori sententia paulò antè adstructum est.

FACIO autem eam coniecturam non modò ex rationibus & argumentis, pro secunda opinione supra adductis, singulariq; illius erga filios suos benignitate, verùm etiam ex perpetua constantique eiusdem praxi & consuetudine. Neque enim ea, dum pœnitens diei cuiuspiam ieiunium se violasse confitetur, per ministros suos interrogare solet, tærne an quater, an bis tantum illo die cibum sumpserit: Atqui hoc omnino perquirere deberet, si singulæ epulationes peccato secundum se essent obnoxie; alioqui enim pœnitentis statum non satis cognosceret; neque idoneam pœnam, aut satisfactionem eidem præfinire posset; siquidem maior pœna debetur duobus aut tribus peccatis, quàm vni tantum.

AT multò verò minùs sciscitari consuevit, neglectumne ieiunium per alterù postea compesarit. Quod addo, propter quosdam, qui de proposita hîc controuersia verba facientes, tertiam & quartam & reliquas deinceps à peccato absoluunt, modò is, qui ieiunium se soluisse animaduertit, alio die, quo alioqui ieiunandum non erat, ieiunet, vel se ieiunaturù statuatur. Nam etsi utile est, quod vno die omissum vel neglectum est, altero compensare, non est tamen illud necessarium. Nam si iusta de causa prætermisum est, omissione peccatum non est; sin autem iniusta vel non iusta, peccatum actu iam constat, solaque pœnitentia aboleri potest.

DICES forsan: si ratio, quæ ab Ecclesiæ benignitate paulò antè ducebatur, est firma, cõsequens sit, qui in Quadragesima vel alio die, quo per legem id non licet, ter aut quater aut etiam frequentius carnibus vescitur, eum vnum duntaxat peccatum admittere.

Ecclesia ieiunium indicens, solum secundum accubitus sub peccato interdixit.

Ecclesia manifesta praxi ostendit se secundam tantum passionem, ieiuniorum tempore prohibuisse.

Non est necessarium, ieiunium vno die omissum alio die redintegrare.

mittere. Quandoquidem carnis vesci res est, secundum se indifferens, crediq; potest, Ecclesiam perinde hinc atque in ieiunio in mitiorem partem inclinare; & tamen oppositum non solum creditur, sed absolute quoq; defenditur: puta toties vnumquemlibet fidelium peccare, quoties interdium citra necessitatem carnis vel aliis escis, pro temporis ratione inhibitis pascitur.

Tres inhibitiones, quæ in ieiunij legem cadunt, non eodem modo ad illud affectæ sunt.

Toto tempore, quo indictum ieiunium decurrit, carnis vesci non licet.

Interdium semel tantum, aut non bis interdium comedere, vel etiam ante meridiem non comedere, id non cadit sub præceptum Ecclesiæ absolute, sed tantum ut sunt conditiones, vel partes ieiunij. Ieiunio itaq; per alterum accubitu sublato, non amplius obligant.

Non parum interest inter naturalis & humani iuris præcepta.

Non est par utrobique ratio; nam etsi Ecclesiasticum ieiunium tria prohibeat, videlicet ne die, quo ieiunium indictum est, carnem comedas; ne sæpius quam semel interdium cibum sumas; ne ante horam ab Ecclesia præfinitam, ieiunium soluas; attamen tres istæ negationes non eodem modo ad ieiunium se habent: Siquidem duæ postremæ non veniunt sub præceptum absolute; sed tantum ut sunt partes, vel quasi partes, ieiunium constituentes, prima autem cadit sub præceptum absolute. Unde toto illo tempore, quo indictum ieiunium decurrit, vim obtinet, adeoque iuxta præceptorum aliquid vetantium naturam, toties hic peccatur, quoties esca inhibita interdium sumitur. Cautum erat enim, ut toto illo tempore à carne abstineret: Sicut cautum quoque extat, ut toto vitæ tempore à rei alienæ contrectatione, aliisque peccatis abstinemus. At verò semel tantum, vel non bis comedere, vel ante istam vel illam horam non comedere, istud non cadit sub præceptum Ecclesiæ absolute; sed tantum, ut est quædam conditio ad ieiunij rationem necessaria. Quare sublato iam per alteram manducationem ieiunio, semel comedere, vel non bis comedere, vel ante meridiem comedere, desinit esse conditio ieiunij, & per consequens tertio, & quarto, mensam repetere, vel meridiem non expectare, non adducit novum peccatum; quia non absolute prohibitum, sed solum ut ad seruandum ieiunium erat necessarium. Quapropter si rem rectè expendamus, non contingit hinc proprie à communi negatiuorum præceptorum regula exceptio, sed declaratur, quam ratione eiusmodi negationes sub præceptum cadat.

Hinc iam planum est, quid ad præcipuam oppositæ sententiæ rationem dici queat: Etenim posito, humani iuris præcepta, quibus aliquid vetatur, eodem rigore & latitudine obligare, quæ iuris naturalis: (id quod generatim concedi non solet: Interest enim plurimum inter ea, quæ suapte natura sunt mala; qualia sunt, quæ iure naturali inhibentur, & ea, quæ secundum se sunt adia-

phora,

phora, sed mala tantum, quia inhibita) ad propositum argumentum respondetur, nullam hic à communi illa negatiuorum præceptorum lege exceptionem fieri; sed solum exponi, quatenus ieiuniorum die sæpius comedere, sit contra præceptum vel præter præceptum. Cui hæc responsio, quæ vera & solida est, non placet, is responsum habeat, id nunquam facere licere, quod lege inhibitorium est, verum Ecclesiam non inhibuisse tertiam, aut quartam accubationem; sed eam tantum, qua ieiunium soluitur, hoc est secundam.

AD secundum eiusdem sententiæ argumentum maiori ex parte responsum est iam antè: dictum est namque, finem, propter quem legislator legem condit, non esse de ratione præcepti, sed illud tantum, quod lege vel præcepto cauetur. Neque enim, si qui mentem ad DEVM non eleuant, aut carnis petulantiam non coercent, aut virtutum suppellectilem nõ augent, ideo nõ ieiunant, modò tamen omnia, quæ ieiunij lex præfinit, accuratè seruent; Nam tria hæc ita ad ieiunij finem pertinent, vt tamen extra ieiunij substantiam existant. Quòd si legislator æquè obligaret ad legis finem, atque ad legis materiam, hoc est, ad id, quod lege mandatur, aut vetatur, legi plenè satisfacere difficillimum foret. Quod de multo, opiparo, &c. eidem rationi addebatur, admitti potest. Fatendum est tamen, non idem esse profus, lautè vel multum comedere, & sæpe comedere: hoc enim per se carnis fomitem auget, illud tantum per accidens. Quæ autem eiusmodi sunt, ea ad certam regulam cogi non possunt. QUAE hætenus exposita sunt, semel tantum ieiuniorum die cibum sumere licere, ostendunt: proximum est, vt paucis nunc exponamus, quanam diei hora eiusmodi cibum sumere fas sit.

Qui Ecclesiastico ritu ieiunant, vel non prandere, sed tantum cænare: vel solito tardius prandere.

CAPVT SEPTIMVM.



ERTA præfinitaq; soluendi ieiunij hora, Christiano ieiunio vsq; adedò intrinseca est, vt ab ea sola appellationem traxisse videatur; dicimur namq; vsq; ad sextam, vel nonam, vel noctem ieiunare, quasi tota

Z 3 vel

Ecclesia non inhibuit tertium aut quartum accubitum ieiuniorum die, sed illud tantum, quo soluitur ieiunium, hoc est, secundum.

Finis præcepti, aut legislationis scopus sub præceptum non cadit.

Difficile foret legi satisfacere, si legislatoris mens sub præceptum caderet.

Ieiunij Ecclesiastici ratio deponit præfinitam horam.

Eò rectius ieiunatur, quòd cibus tardiùs sumitur.

Judæi & primi Christiani ieiunia ad noctem vsque producebant.

Iud. 20.

2. Reg. 1.

2. Reg. 3.

In vit. Anton.

In vit. Hilar.

Epist. ad Paulin.

Hom. 1. de ieiun. Trecentis annis post Christum ieiunium à plebriq; vsq; ad noctem incipit producebatur.

Lib. de hæres.

vel præcipua ieiunij vis in prorogatione inedia vsque ad tardiorum horam sit posita: Sed & communi quoque piorum omnium sententia eò rectius religiosiusque, si cætera sint paria, vnusquislibet ieiunat, quòd tardiùs prandet; eò contrà minùs rectè minusq; religiosè, quòd maturiùs ieiunium relaxat.

ECCYAM, inquis, horam lex, vel consuetudo soluendo ieiunio præfinit? Sanè vt temporis lapsu in ciborum delectu, vnaque corporis refectione nonnulla accidit mutatio; ita non eadem apud omnes semper cœnandi hora obtinuit. Hebræi & primi Christiani ad initium noctis ieiunia plerunque producebant. Notum est enim illud Scripturæ: *Omnes filij Israël venerunt in domum DEI, & sedentes stebant coram Domino; ieiunaueruntq; die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt holocausta, & pacificas victimas.* Et illud eiusdem: *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnesq; viri, qui erant cum eo, & planxerunt & stenerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul & super Ionatham filium eius, & super populum Domini.* Et infra rursum: *Cùm venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, claro adhuc die iuravit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi DEVS, & hæc addat, si ante solis occasum gustauero panem, vel aliud quicquam.* De primis Christianis antea similia ex Philone & aliis audiimus.

EVDDEM ieiunandi ritum seruabãt præsci monachi quoq; & multi præterea alij pij religiosiq; Christiani. Athanasius: Pernoctabat in oratione sæpissime, edebat semel in die post solis occasum: quandoq; biduo ac triduo sic permanens, quarto demum die reficiebatur. Hieronymus: Inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur, quindecim tantum caricis post solis occasum comedens. Idem: Sit vilis & vespertinus cibus. Basilius Magnus: A vino abstines, sed ab iniuriis tibi non temperas; expectas vesperam, vt cibum capias; sed diem totum absumis ad tribunalia. Hæc Basilius non de monachis, sed de vulgaris vitæ hominibus; ex quibus planum fit, trecetos annos post CHRISTVM passum, si non passim ab omnibus, certè à pluribus vsque ad noctem ieiunatum fuisse.

AT verò post Basilij ætatem, in tepescente iam sensim primo illo seruore, cœptum est cœnæ tempus aliquot horas antè capi. Quarta & profabbato, scribit Epiphanius, statum est ieiunium vsque

que ad horam nonam. Concilium Cabilionense: Solent plures, qui se ieiunare putant in Quadragesima, mox vt signum audiuerint, ad horam nonā manducare, qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si antē manducauerint, quā vespertinum celebretur officium. Concurrēdum est enim ad missas, & auditis missarum solennibus, & vespertinis officiis, & largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est; si quis verò constrictus fuerit, vt ad missam venire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium soluat.

HÆC porrò vsque ad horam nonam ieiunandi consuetudo inde exorsa, perpetua quadā serie vsq; ad Thomæ Aquinatis ætatem, qui trecentos plus minùs annos memoriam nostram antecessit, sese porrexit: Siquidem vbi is de hora, quā ieiunium ab Ecclesia indictum soluere licet, disputat, inter cætera ita scribit: Ieiunium ordinatur ad deletionem & cohibitionem culpæ. Vnde oportet, vt aliquid addat supra communem consuetudinem; ita tamen vt per hoc non multum natura grauetur. Est autem debita & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam: tùm quia iam videtur completa esse digestio nocturno tempore, naturali calore interiùs reuocato, propter frigus noctis circumstantis, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei, vsque ad summum solis ascensum; tùm etiam quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget iuari contra exteriorem aëris calorem, ne humores interiùs adurantur. Et ideo vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat, pro culpæ satisfactione, conueniens comedendi hora taxatur ieiunantibus circa nonam. Conuenit etiā ista hora mysterio passionis CHRISTI, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum. Ieiunantes enim, dum suam carnem affligunt, passioni CHRISTI conformantur, secundum illud Apostoli ad Galatas: *Qui autē CHRISTI sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hactenus Thomas, à cuius sententia Alexander, cæteri que, qui eo tempore vixerunt & scripserunt, non dissentiant, hoc solo dempto, quòd quidam ex illis horam nonā in tota sua latitudine accipiunt.

COMPLECTITVR autem ea hora tres partes ex æquo diuisas, harum prima decurrit à duodecima vsque ad primam, media hinc

De cons. d. 1.
Solent.

Quondam ieiunio adijungebatur eleemosyna, & preces aliæ; eiusmodi.

22. q. 147. 7.

Ieiunium ordinatur ad culpæ inhibitionē & expiationem.

Ieiunantes passioni Christi conformantur.

Hora nona, qua olim ieiunium soluebatur, complectitur tres vel quatuor partes, puta initium primæ, secundæ, & tertiæ, & finem tertiæ.

Crucis mysterium ad nonæ initium, hoc est, ad duodecimam, inchoatum, sed ad finem eiusdem horæ absolutum.

Consuetudo à maioribus scita & approbata vel non improbata absoluit eos à ieiunij solutione, qui hora vnde-cima vel aliquando etiam citius prandent.

hinc vsque ad secundam, postrema inde vsque ad tertiam. Quamobrem si nonam in tota sua latitudine acceperimus: & illi hora nona ieiunium soluere haud ineptè dicentur, qui audita duodecima prandium auspicantur; & illi rursum, qui post primam; & illi item, qui post secundam; & illi tandem, qui post tertiam. Neque pugnant cum hac assertionem, quæ ex Aquinatis sententia iam allata sunt. Nam etsi D. Thomas ad postremam nonæ partem magis spectasse videatur, quàm ad primam, vel mediam, hoc ipso tamen utramque admittit, quòd non asserit, veteres nona finita cenare solitos, sed circa nonam; constat enim circa quandam latitudinem complecti. Nec obstat quoque exemplum, quod de CHRISTI perpelesione idem autor adducit. Quamuis enim crucis mysterium ad nonæ finem fuerit expletum, fuit tamen ad nonæ principium inchoatum; pependit enim CHRISTVS tres integras horas viuis in cruce, videlicet à duodecima vsque ad tertiam, siue, ut Euangelista loquitur, à sexta vsque ad nonam.

VERVM utcumque veteres nonam horam acceperint, aut ieiunium soluerint (post meridiem autem soluisse, satis competum est) hoc sanè tempore multò plures comperias, qui vnde-cima diei hora vertente, hoc est, sub tertiæ horæ finem ieiunium soluant, quàm qui sacro audito, precibusque expletis, & elemosynis inter egenos distributis nonam aut vesperam expectant. Neque ideo tamen, si cætera bona fide præstant, non ieiunant. Nam consuetudo à maioribus scita & tacitè approbata, in plerisque positivi iuris constitutionibus idem ferè robur obtinet, quod lex ipsa. Quandoquidem ut eiusmodi leges utentium consensu firmantur & inducuntur, ita semel firmatæ & inductæ, contraria consuetudine denuo infirmantur, & tandem omnino abolentur. Porrò sacris interesse, preces fundere, elemosynas erogare, aliisque, quæ Cabilionense Concilium exigit, præstare, ita est salutare & fructuosum, ut tamen non sit aliquod intrinsecum ieiunij membrum. Quare licet isthæc, si adsint, ieiunij meritum augeant, eiusdem tamen rationem non infirmant, si absint.

QUAMVIS ergo tempore Epiphaniæ & Augustini; imò verò ab auorum & atauorum nostrorum memoria, CHRISTI fideles vsque ad horam nonam ieiunium producerent, & nonnulli quoque vsque ad vesperam, hac tamen ætate, appetente vnde-cima vel duode-

duodecima, hoc est, crassa quadam æstimatione hora meridiana, ubi patriæ consuetudo non reclamât, ieiunium soluere licet; siue iam tum fames adsit, vt plerunq; solet; siue omnino nulla. Quandoquidem inedia aut corporis molestia non est conditio ad ieiunij ratione necessaria, multò verò minùs circumstantia ad quoduis præceptum requisita. Fideles autem non obligantur ad circumstantias in lege vel statuto non expressas, nisi illa sit communis, hoc est, talis, quæ ad nullam non legem deposcatur; non est ergo opus cœnam tantisper differre, dum insigniter fameas, aut capitis vertigine labores, aut tam parcè cœnare, vt continua inedia langueas.

Imò verò vitio quàm virtuti affinius esset, propter eiusmodi causas statutam, aut patriæ cōsuetudine receptam prandendi horam notabili spacio prorogare. Quum refectiois hora venerit, scribit Casianus, refectio sumatur, etiamsi homo non esuriat. Si quidem hoc modo parcimonia meliùs seruatur, quàm si refectio vsq; ad esuriam differatur; quia in magna esurie auidius & minùs temperatè sumitur refectio. Hæc ille & rectè quotidianæque experientie consentaneè. Adde his, si ieiunium famem aut corporis molestiam necessariò includeret, nullum certum tempus, quo illud soluere liceret, ab Ecclesia præfiniri posse. Sunt enim, qui citra incommodum vsque ad noctem inediam ferant: sunt alij, qui meridianum tempus vix expectant: sunt denique, qui hoc possunt, illud non possunt, prout non omnes vnus eiusdemque constitutionis sunt, sed vnus huius, alter illius, alius rursus alterius.

NEQVE obstat his, quòd sacræ literæ, ex quibus ieiuniorum origo fluxit, nò alio quàm afflictionis nomine ieiuniù designant, quasi tota vel potissima illius vis in cruce, animæue, vel corporis afflictione consistat. Nam eùm DEVS per Moysen afflictionem præcipit, dicens: *Mense septimo affligetis animas vestras, nullumq; opus in eo facietis.* Rursum: *Affligetis animas vestras in eo religione perpetua; & offeretis holocaustum Domino.* Demum: *Omnia anima, quæ afflictæ non fuerit die hac, peribit de populis suis:* non præcipit afflictionem secundùm se; Ea enim nec libera est, neq; ad ieiunij ratione necessaria est; sed præcipit tantùm opera, quæ ex se nata sunt afflictionem adferre, tametsi nò semper adferant. Cuiusmodi inter cetera sunt ieiuniù,

Inedia vel fames non est conditio ad ieiunium necessaria. Quare nò est opus cœnam tantisper differre, dum fames torqueat.

In patr. coll.

In magna fame cibus sumitur auidius & intemperantius.

Si inedia de ieiunij ratione foret, nulla certa hora, quæ illud soluere liceret, cōstitui posset.

Leuit. 11. 16.

DEVS Iudaico populo afflictionem indicēs, nò ipsam per se afflictionem indicit, sed opera crucem cetero nata.

a & à de-

& à delicatioribus escis abſtinentia, veſtitus aſper, vigilia, cha-
meunia, aliaq; id genus complura. Nam vt horum oppoſita ſen-
ſum quadam ſuauitate & voluptate perfundunt; ita hæc ipſa eun-
dem nonnihil plerunq; offendunt.

Iudæi afflictio-
nis vocabulum
præpoſterè, &
crasè interpre-
tabantur.

Matth. 6.

Cap. 8.

Ieiunia ad tria
conſerunt.

AT verò Iudæi afflictionis notionem crasè, vt cætera ſolent,
accipientes, nullam verum aut propitiatorium ieiunium citra ve-
rum cruciatum conſtare poſſe perſuaſum habebant. Quare ſi
quando ex ipſa ieiunatione, nullum doloris ſenſum hauriebant,
ne minùs religioſi haberentur, aut ieiunij fructum perderent, in-
ediam vltra conſuetam indiſti ieiunij metam prorogabant; aut
quædam externa ſymbola, quæ de interno cruciatu ſpectatoribus
fidem facerèt, adhibebant: quo etiam nomine CHRISTVS Do-
minus meritò illos notat: *Cùm, ait, ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocrita
trifteſ; exterminant enim facies ſuas, vt videãtur ab hominibus. Sed & Eſai-
as quoque eam ſuperſtitionem neutiſquam obſcurè notat; ait em:*
*Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam
ſuam? nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum? & ſaccum et cinerè
ſternere?* quaſi dicat, nequaquam. Fatemur nihilominus, non de o-
mnibus Iudæis promiſcuenè hæc accipienda eſſe; ſed de quibuſdam
tantùm; habebat enim Iudæa ſuos quoq; Sanctos, tametſi non ita
multos.

FATEMUR equè (nam hoc quoq; qui pro Iudæorũ conſuetu-
dine ſtant, obiicere ſolent) domesticum hoſtem, ne inſurgat, per
ieiunium comprimendum, DEOq; pro admiſſis faciendum ſatis,
necnon vitioſis habitibus exturbatis, ſtudioſos inferendos eſſe.
Verùm vt hæc conſequamur, non eſt opus formali aliquo corpo-
ris cruciatu, aut carnis afflictione; ſed abunde ſat eſt, ſi ea adhi-
beantur, quæ eiufmodi effectum ex ſe progignere nata ſunt: Vel
quæ ab Eccleſia in hunc finem præſinita ſunt. Fatemur tandem
cum Gregorio & Bernhardo, quos ipſi etiam in cauſa ſua patro-
cinium aduocant, ventris clamorem, eiufdemque rugitum non
ſemper audiendum, hoc eſt, non ſemper id illi deferendum eſſe,
quod poſtulat, præſertim ſi ſuperuacanea poſtulet, vel ante tem-
pus ius ſuum vrgeat; at hinc non conſequitur, ventris rugitum
eiufdemque clamorem, hoc eſt, eſuriam aliamque corporis affli-
ctionem ad intrinſecam ieiunij rationem pertinere. Aliud eſt
enim, ventrem intempeſtiue clamantem audire, aliud tantisper,
dum

dum clamet, cœnam vel prandium differre. Licet ergo circa meridiem ieiunium soluere, siue fames tunc aliqua adsit, siue nulla omnino.

DVBITABIT hîc fortè quispiam, an, vt refectionis horâ vsu receptam, vel lege definitam, ad quantumlibet spacium prorogare licet; (modò ex Iudaica, vel Mahometica supstitione ea prorogatio non contingat) ita quoq; eandem, salua ieiunij lege, quâto cunq; spacio anticipare liceat? Tum rursus, decuerit vel expedieritne, vt Ecclesia aliquod tempus, ante quod prandere vel cœnare non liceret, præfiniret? Tum demum horâne vsu vel legis statuto receptæ observatio, eo modo & ratione de Ecclesiastici ieiunij integritate existat, vt ea profus neglecta, veri nominis ieiunium nullum esse valeat. De his quidam disputant prolixè, nos singula expediemus paucis.

PRIMUM quæsitum difficultate caret. Nemo enim ambigit, eiusdem rationis non esse, anticipare & producere: siquidem hoc est supererogationis, quia maioris crucis; illud simpliciter transgressionis. Ecclesia enim nusquam præcepit, vt hora nona vel sexta ieiunium solvatur, sed ne ante illud tempus solvatur vetuit. Adhæc non indixit illa ieiunium, quò carnem foueamus, verùm quò illam maceremus, spirituiq; subiiciamus; at quò inedia differtur magis, eò illa affligitur intensius; sicut ediuerso quò esurienti stomacho occurritur maturius, eò carnis sensus cruciatur remissiùs. Tandem ieiunium ab Ecclesia institutum non solum complectitur certum ciborum delectum, vnamq; corporis refectionem, vt antè iam dictum est, sed certam quoq; præfinitamq; cœnandi horam. At si cuiq; ita liberum foret anticipare, sicut liberum est prorogare, nullum profus certum refectionis tempus fieret reliquum. Non ea itaque libertate cœnæ tempus anteuertere, qua illud differre licet.

AD alterum respondetur, omnino necessarium fuisse, vt Ecclesia ieiuniorum lege obstrictis præfiniret aliquod tempus, ante quod ordinariè cibum sumere non liceret. Nam si cuique integrum esset, cœnare vel prandere, quando vellet, non solum magna inter ieiunantes confusio & dissimilitudo obtineret, verùm multi quoque, qui alioqui ieiunaturi erant, ieiunium violarent: egrè namq; à cœna se còtinerent, qui summo mane pransi essent;

2. 2 quipè

Tres de accubationis hora quæstiones non inuultiles.

Ecclesia nò præcipit, vt ieiunij hora sexta vel nona solvatur, sed verè, ne ante illud tempus solvatur.

Non licet cœnæ tempus anteuertere, dum ieiunio operadatur, sicut licet illud prorogare.

Necessariù fuit, vt Ecclesia tempus præfiniret, ante quod ieiunij soluere ordinariè non liceret.

quippe cū illi quoque experientia teste vix sese contineant, qui circa meridiem ieiunium soluerant. Ad hæc cū extra ieiuniorum tempora communi populi vsu & consuetudine, suæ sint prandiis & cœnis horæ constitutæ, quæ rarò quoque in ciuitatibus benè institutis prætermitti solent, cur ieiuniorum soluendorum tempora, quæ D E O deuotionique ex professo dedicata sunt, cuique libera relinquerentur? Deniq; cū statæ preces statis horis ex Apostolorum traditione in D E I Ecclesia solitæ sint persolui, magnamq; cum eiusmodi precibus ieiunia connexionem habeant, (Est enim longo iam tempore in Ecclesia vsitatū, vt vespertinæ preces in Quadragesima prandio, nonæ verò horæ aliis ieiuniorum feriis præmittantur,) rationi omnino cōsentaneum erat, vt ieiunio soluendo certum tempus determinaretur.

DICUNT quidam: non eadem omnium est natura corporumue cōstitutio, neq; vna omnium occupatio, neq; eadem tandem temporum aut locorum ratio: nō idem ergo omnibus tēpus præfiniri debuit, puta sexta aut nona? Addunt alij; ieiunium est opus vel actus abstinentiæ, abstinentiæ autem non solum temporis anticipatio aduersatur, verū etiam ciborum quantitas & qualitas, nimiaq; edendi auaritas, & præparandi anxietas. Notum est enim illud Gregorij: Quinq; modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando enim indigentia tempora præuenit: Aliquando non præuenit, sed cibos lautiores querit: Aliquando quæ sumenda sunt, procurari accuratiùs expetit: Aliquando autem & qualitas ciborum & tempus congruit, sed in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectiois excedit. Nonnunquam & abiecius est, quod desiderat, & tamen in ipso esu immensi desiderij deterius peccat. Cū ergo de quatuor posterioribus nihil cautum exisset, videri queat, nihil de primo quoque statui debuisse.

NEGARI sanè non potest, non vnā omnium corporum esse constitutionem, nec eandem etiam locorum & temporum omnium rationem; verū hinc non sequitur, nullam certam soluendo ieiunio horam fuisse præfiniendam. Primò nulla vnquam lata est lex, sed nec vlla quoque ferri potest, quæ omnibus æquè sit commoda. Deinde tempus illud tam commodè definitum est, vt nemo de illius mora iure conqueri queat. Etenim cū plurimi passim propter occupationes, vel alias causas prandium vs-

Ve certæ preces certis horis, ita ieiunia certis precibus sunt accommodata.

D 5. de cons. Quinq;

Quinq; modis gulæ vitium tentat hominem.

Nulla omnino lex fertur, quæ omnibus æquè sit commoda.

que ad vndecimam vel duodecimam sponte differant, quid magni aut quod grauamen est, si Ecclesia caueat, ne quis ante vndecimam vel duodecimam ieiunium soluat? Postremo si quis est, qui tantisper ieiunare commodè non potest, ille cum bona superioris venia prandeat citius, & reliquas ieiunij partes seruet.

CATERVM non est eadem ratio vnicæ accubationis, ab abstinentiâ à carnibus, & statâ horâ: Quandoquidem vna refectio, ieiunio generatim saltem accepto, est magis intrinseca, quàm abstinentiâ à carnibus, aut ciborum delectus. Quare Iudæorum vulgus ita ieiunium ad noctem vsque producebat, vt tamen post solis occasum omnia, quæ lex permittebat, promiscuè manducaret. Abstinentiâ rursus à carnibus magis est de eiusdem substantia, quàm statâ præfinitâque hora. Quamobrem si quis ea corporis constitutione est, vt ieiunare omnino non queat, nisi tempestiuè admodum prandeat, vel carnes comedat, faciliùs cum eo dispensabitur, vt tempestiuè prandeat aut cœnet, quàm vt carnes manducet. Imò verò non desunt, qui eos à toto ieiunio liberos pronuncient, qui citra carniûm vsûm ieiunium ferre non valent. Porro secundam corporis refectiõnem ieiunium Ecclesiasticum nullo modo admittit; vnde cuiusque facultas facta est, vt bis interdiu cibum sumat, is à ieiunij lege planè est absolutus. Carne tamen eiusmodi vesci non debet, si sine carnibus viuere commodè potest. Latius enim patet lex de abstinentiâ à carne lata, quàm ieiuniorum præceptum.

Ad secundum dicitur, de ciborum qualitate & quantitate, de cœnationis modo & ratione, de esculentorû præparatione aliisq; hisce cognatis non ita procliuè fuisse certi aliquid statuere, ac de refectiõnis tempore; Nam, vt alibi indicatum est, quod vni multum est, hoc alteri parum est, & vice versa. Rursum quod vni sapit aut conuenit, hoc alteri neque sapit neq; conuenit, prout quisq; durè vel molliter est educatus. Non enim eisdem vescuntur viri principes & homines vulgares, plebei & nobiles, pauperes & diuites. Sic quoque cum cibi auaritas, vel nimia quorundam edacitas oriatur ex interna corporis constitutione, prauâque consuetudine subinde augeatur, nõ potuit certa aliqua lege eiusmodi vitium integrè compesci. Qui enim insigniter fament, vix, quin in appõfitas escas auidè inuolent, se continent: Sic tandè de præparandis

a 3 dapi-

Vna accubatio inter ieiunij partes primas tenet, proximas ciborum delectus, postremas statâ hora.

Ieiunium Ecclesiasticum nullo modo fert alterâ accubationem,

Edacitas, que ex corporis constitutione nascitur, praua conuetudine paulatim augetur.

dapibus nullum statutum edi potuit, quod æqualiter omnibus conueniret; ut enim homines hominumque conditiones & status sunt varij; ita mensæ & cibi, quibus vtuntur, sunt diuersi. Diuersi autem cibi diuersum poscunt præparandi studium. Verum etiam quatuor postremæ gulæ filiæ non soluant ieiunium, ut ab Ecclesia est institutum; quò ad meritum tamen vel fructum, si non in totum soluunt semper, in totum tamen vel in partem soluere possunt.

Gulæ filie ieiunij meritum sæpe solvunt, ipsum autem ieiunium non item.

Ad tertium quæsitum maiorem partem iam antè responsum est; dictum est enim, omnes tres conditiones esse de intrinseca Ecclesiastici ieiunij ratione; neque illud suis numeris & partibus consistere posse, si vel vna ex iis omnibus defuerit. Dictum est æquè, tria illa, quæ ad ieiunij integritatem deponuntur, certo quodam ordine ad illud sese habere. Nam ut ex veterum Hebræorum consuetudine probatum est, vna interdum refectio magis est de intrinseca illius ratione, quàm ciborum delectus, & hic rursus magis, quàm statuta accubationis hora; quamuis & ea quoque communi Christianorum omnium sensu atque consensu de illius ratione existat. Quicumque enim eo die, quo ex lege vel consuetudine ieiunandum est, quempiam summo mane manducantem cernit, statim eiusmodi conceptum apud se format; ille non ieiunat; neque peccat eiusmodi iudicij efformatione; peccaret tamen, si talè peccati reum pronunciaret; quia forsan habuit iustam causam, cur tam tempestiuè cibum caperet.

Qui manè cibum sumit, communi mortalium iudicio non ieiunat.

Ex hoc autem, quòd omnes omnino homines vnanimi sententia iudicant, eos non ieiunare, qui tot horas consuetum prandendi tempus antecapiunt, euidenter colligitur, horam ieiunio soluendo, lege vel consuetudine definitam, quæcunque tandem illa sit (accidit namque maior in vna hac re, quàm in cæteris ieiunij partibus mutatio,) de ieiunij necessitate, eiusdemque integritate non minus esse, quàm tectum vel paries de integritate domus. Nam si de eiusdem necessitate non esset, communi omnium iudicio & voce non negaretur ieiunium esse, quod tam tempestiuè soluitur. Quilibet proinde consuetam prandendi horam æquè seruare obligatur atque ipsum ieiunium; peccantque non minus, qui horam illam citra causam iustè excusantem insigniter anticipant, quàm qui aliam quamuis ieiunij conditionem non seruant.

Commune omnium iudicium non facile fallit.

EADEM

EADDEM hac ratione euidenter quoq; probatur, bis ieiuniorum die cibum sumere, aliud esse, quam Christianè ieiunare; nam quicumq; videt illum cœnātem, quem certò antè pransum nouit, statim dicit, & verum dicit; ille non ieiunat. Idem omnino de illo citra temeritatem pronūciare licet, qui ieiunalibus diebus caribus vesci conspicitur: Quandoquidem si citra vllam necessitatem & dispensationē illis vescitur, Ecclesiastico ritu nequaquam ieiunat. Si autem tantæ debilitatis vel tam afflictæ valetudinis est, vt carnem comedere omnino necesse habeat, nulla lex ad ieiuniorum legem illum obligat. Atque ita siue necessitas excuset, siue temeritas incuset, qui carne vescitur, Christianè nō ieiunat. Quin etiam canone Solent, disertè pronūciatur, eos ieiunare censendos non esse, qui ante nonam, quæ tum temporis vsitata erat, ieiunium soluunt. Et vt maximè nulla lege cautum extaret, ne quis ieiuniorum tempore ante sextam aut nonam cibum caperet, adhuc vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ hoc habet, æquè ad eius temporis obseruationem adigeret, ac si certa ea de re lex promulgata foret.

NEQVE, est vt quis hīc cauilletur, per statā horæ definitionem conscientis laqueum iniici: Siquidem hora illa non consistit in puncto, sed in quadam ciuili latitudine. Vnde vt de ea constet, non est necessarium, vt quis adhibeat astrolabium, machinalēue aut solare horologium, sed sat est, si commune iudicium in medium adferat; siue iudicium illud sextæ vel nonæ punctum attingat, siue infra illud cōsistat. Nam excedere, nullum est peccatum; imò quò prandium tardiùs sumitur, eò rectiùs ieiunatur. Sed & minus quoque in horæ anticipatione peccatur, & faciliùs dispensatur, quàm in reliquis ieiunij partibus. Vnde si iter est faciendum, vel opus aliquod statim à prandio inchoandum, si amici vel hospites adsunt, si calor est vehemens, si deniq; aliquid aliud est, quod consuetam prandij horam nonnihil anteuertere suadeat, citra noxam illam nonnihil anteuertere licebit. ATQVE hæc de tribus ieiuniorum partibus, siue eas substantiales, siue integrāles appelles, hæctenus: Proximum est, vt de eorundem inter se discrimine & partitione nonnulla quoq; in medium adferamus; hanc enim tractandi methodum ipsa rei natura deposcit.

Qui bis interdium, aut carnem manducat, Ecclesiastico ritu non ieiunat.

De conf. d. 1.

Vniuersalis Ecclesiæ consuetudo legis vim obtinet.

Si adsit causa, licet prandij horā nonnihil anteuertare ieiuniorum tempore.

Non

Non unam ieiuniorum omnium rationem, neque parem eorundem obligationem esse, sed quorundam maiorem, aliorum minorem.

CAPVT OCTAVVM.

Ieiuniorum alia libera, alia necessaria, & cuiusmodi sine utraque.

IEIUNIORVM alia sunt necessaria, alia libera. Libera vocamus, quæ ita cum laude & merito suscipiuntur, vt tamen citra noxam prætermitti queant. Necessaria dicimus, quæ præcepti vim obtinent, adeoque citra causam iuste excusantem inculpatè omitti non valent. Necessaria pleraque omnia certa tempora sibi vendicant; libera non omnia, sed aliqua ex iis tantùm.

Spontaneorum ieiuniorum quædam communia, quædam priuata.

LIBERORVM, quæ spontanea dici possunt, quædam sunt communia, alia priuata. Priuata appellamus, quæ vnusquislibet, quandoque visum fuerit, priuatim vsurpat: Siue illa vsurpet, quòd vitium aliquod debellet; siue vt beneficiù aliquod à Deo Optimo Maximo impetret; siue vt cladem ceruici impendètem propellat. Communia vocamus, quæ certo definitòque tempore à religiosioribus Christianis celebrantur, etsi non ab omnibus; tū ea quoque, quæ cum vniuerso fideiù cœtu obseruantur, qui nulla alioqui ieiunij lege tenentur; siue lex ab eiusmodi vinculo eos absoluat, propter ætatis vel corporis imbecillitatem; siue propter laborum magnitudinem aut negotiorum molem; siue propter aliã quamcunque causam iuste excusantem.

Quæ ieiunia hoc tempore generaliter libera.

INTER ieiunia (nisi votum, aut peculiare statutum, aut peculiaris loci cuiuspiam consuetudo obstet) hac ætate libera censemus ieiunium profabbati, sabbati, & feriæ quartæ; ieiunium maiorum litaniarum & rogationum; ieiunium aduentus Domini; ieiunium quolibet mense recurrens; ieiunium N. Ioannis Baptistæ natiuitatem dies aliquot antecedens, & alia præterea nonnulla, quorum in sacris Canonibus & quorundam quoque Patrum scriptis fit mentio. Nam etsi nonnulla ex illis in nascens Ecclesiæ exordio, & aliquot etiam secula postea, fuerint necessaria; vt pote magna seueritate indicta, communique populi consensu & vsu recepta, nunc tamen multis retro annis, quod ad potiorem sui partem attinet, abierunt in dissuetudinem, adeoque ex necessariis facta sunt libera.

Multa ieiunia nunc libera, quæ olim fuerunt obligatoria.

QVOD

QVOD ea autem ieiunia, quæ obiter hîc nunc attigimus, aliquando non fuerint libera, sed absolutè præcepta, id apud eos, qui in veterum monumentis mediocriter versati sunt, quæstionem non habet; attamen quòd hoc tempore non desint, qui de ieiuniorum multitudine conquerantur; alij, qui omnia ieiunia indiscriminatim Christiano homini libera relinqui volunt, placet hoc loco pauca quædam ex veteribus Canonibus & Scriptoribus repetere, quæ ieiunia illa, quæ paulò antè hac hominum memoria libera esse diximus, olim obligatoria, magnaque seueritate præcepta fuisse clarè ostendant. Nam si aliud nihil, minimùm discemus hinc, quantum à primo illo primorum Christianorum feruore, mortificationisque studio paulatim recessum sit.

DE ieiunio itaque profabbati & feriæ quartæ octauus supra sexagesimum Apostolorum Canon ita loquitur; Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor quartam feriam, aut parasceuen non ieiunauerit, deponitor; præterquam si imbecillitate corporis impeditur: Si laicus sit, cõmunionem priuator. En grauisima pœna Apostolorum ætate in eos cõstituta, qui profabbati & feriæ quartæ ieiunium citra causam violassent. Neque enim ob rem leuem, aut Clericus exauctorari, aut laicus cõmunionem priuari solet, sed ob peccatum longè grauisimum.

HVC quoque pertinet illud Clementis principum Apostolorum discipuli: In quarta feria & parasceue nobis ieiunium indixit (Petrus); in illa ob prodicionem, in hac ob passionem. Iussit & in ipso quoque sabbato ieiunare. Et illud Innocentij primi: si sexta feria propter Domini passionem ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam & lætitiã temporis illius videtur inclusum: Nam constat Apostolos biduo illo, & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se oculuisse. Vtique non dubium est, in tantum eos biduo memorato ieiunasse, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta non celebrari. Et illud Epiphaniij:

COMMVNIONES ordinatæ sunt fieri ab Apostolis quarta & profabbato & dominico. Quarta verò & profabbato ieiunium statutum est vsque ad horam nonam. Et paucis interpositis subdit: Apostoli statuerunt vt in his diebus ieiunia fierent, ita vt impleatur dictum hoc; *Cum ablatus ab ipsis fuerit sponsus, tunc ieiunabunt in*

b illis

Iniusta hoc tempore querela de ieiuniorum multitudine.

Ieiunium profabbati & feriæ quartæ tempore Apostolorum sub anathemate indictum,

Lib. 5. cap. 16. Apost. const.

D. Petrus ieiunium sabbati, profabbati & feriæ quartæ indixit. Epist. 1. ad Dec. cap. 4.

Cur Ecclesia sacro parasceues die & sabbato proximo, Sacramenta non celebret.

In doctrina concen. de fide Catho.

Matth. 9.
Marc. 2.
Luc. 5.

- Hö. 10. in Leui. *illis diebus.* Et illud Origenis; Habemus Quadragesimæ dies consecratos ieiuniis. Habemus quartam & sextam septimæ dies, quibus solenniter ieiunamus. Et illud Damasceni: Aërius nulli Arrianorum secundus, adiecit quædam de suo; negat enim quicquam offerendum esse pro mortuis. Ieiunium feria quarta & sexta, & quadraginta diebus seruari, & pascha celebrari prohibet; stata hæc dānat omnia. Et illud Apolonij: Ieiunia legitima, id est, quarta & sexta feria non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit; quia feria quarta Judas de traditione Domini cogitauit, & sexta feria crucifixus est Saluator. Videbitur ergo, qui in his diebus sine aliqua necessitate soluerit statuta ieiunia, vel cum tradente tradere Saluatorem, vel cum crucifigente crucifigere. En omnes isti idem statuunt de ieiunio sabbati, profabbati, & ferie quartæ, quod de ieiunio Quadragesimæ; hoc autem strictè obligauit semper.
- Epist. ad Casil. num. PERTINET huc quoque illud Augustini: Cur sexta & quarta maximè ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Euangelio ipsa quarta sabbati, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermissio autem vno die traditus est nocte, quæ iam ad sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Et illud Isidori:
- Lib. 6. cap. vii. etym. Quid statio proprie. LUC. 18. STATIO est obseruatio statutorum dierum vel temporum; Dierum, vt ferie quartæ & sextæ ieiunium ex veteri lege præceptum, de qua statione in Euangelio dixit ille: *Ieiuno bis in sabbato*, hoc est, quarta & sexta sabbati. Et alio rursus loco idem: Præter hæc autem legitima ieiuniorum tempora omni sexta feria propter passionem Domini à quibusdam ieiunatur. Sed & sabbati dies à plerisque propter quòd in eo CHRISTVS iacuit in sepulchro, ieiunio consecratus habetur; ne scilicet Iudæis exultando præbeatur, quod CHRISTVS sustulit moriendo. Hæc ætiologia est planior: Neque enim ideo ieiunamus feria quarta & sexta, quòd Iudæi illos dies ieiunio consecratos haberent, sed quòd CHRISTVS altero venditus, altero cruci affixus, altero rursus sepultus esset. Eadè ad verbum repetit Rabanus. Et illud Theophylacti:
- De cle. inst. c. 23. Ad ca. 14. Marc. Lib. 11. cap. 17. FERIA quarta conciliū conuenit, propterea nos ieiunamus quartis feriis. Et illud tandem historiae tripartitæ: Perdurabat Theodo-

Theodosius in frigore & similiter in æstu, plerunque ieiunabat & maximè quarta & sexta feriis. En quanta de ieiuniis sabbati, pro sabbati, & diei Mercurij testimonia, quæ omnia, Ecclesiæ pastoribus conuenientibus, vitiisque & carnis illecebris paulatim crescentibus, iam olim vsque adeò sunt laxata & eneruata, vt ex tribus ieiunij partibus solam à carnibus abstinentiam reliquam habeamus; quamuis ne hanc quidem satis integrè. Pauca enim prouinciæ reperiuntur, quæ die Mercurij à carnibus abstineant, imò non desunt, quæ sabbato quoque carnes manducent, etsi id ex sedis Apostolicæ gratia & condonatione magis, quàm ex lege.

ERAT priscis temporibus feria secunda in ieiuniis quoque, verùm id non apud omnes promiscuè; sed apud monasticen professos, publicæque pœnitentiæ mancipatos præcipuè. Presbyter, habet Gangrensis Synodi decretum, si fornicationem fecerit, vsque ad expletionem septimi anni omni quidem tempore (exceptis paschalibus diebus) tres legitimas ferias in vnaquaq; hebdomada in pane & aqua ieiunet; expleto septimi anni curriculo, si fratres, apud quos pœnituerit, eius congruam pœnitentiam laudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta beati Calixti auctoritatem, eum reuocare poterit. Sanè sciendum est, quòd secundum feriam, vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando, si opus fuerit, redimere poterit. Simile ieiunium Ioannes, eius nominis octauus, iniùxit illis, qui excommunicati sacrum ministerium contingere ausi fuerant. Sanctio illius, citante Gratiano, ita habet:

DE illis presbyteris, qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri Domini Papæ Nicolai excommunicati, sacrum ministerium contingere præsumperunt, ipsi in se damnationis (sicut Canones statuerunt) sententiam intulerunt: tamen quia miseratio Apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illius, hanc indulgentiam exhibemus, vt sancta communione faginati, studeant tribus annis continuis per hebdomadam omni tempore secunda & quarta & sexta feria à vino & carne penitus ieiunare, & vltra lugenda nequaquam committere. Quòd autem veteres Monachi feriam secundam in ieiuniis habuerint, id ex Turonensi Synodo audiuius antè, idem ex eadem paulò post denuo audituri.

Theod. Imp. ieiunat feria quarta & sexta, perduratque in frigore & æstu.

d. 82. Presbyter.

Pœnitentiæ sacerdotis in fornicationem lapsi.

11. q. 3. de illis.

Veteres Monachi feria secunda plerunque ieiunabant.

b. 2. DE

DE litaniarum ieiunio pauciora minusque solennia prodita extant, extant tamen & de illis nonnulla quoque synodalia decreta. Etenim Concilium Aurelianense primum tempore Hormisdæ in Gallia celebratum, non solum triduo illo ieiunium, sed vacationes quoque à seruilibus operibus indicit; cauet enim: Rogationes, hoc est, litanias ante ascensionem Domini placuit celebrari; ita ut præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ ascensionis solennitate soluatur. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat: Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.

Can. 29.
Dies rogationū
quondā solenni
ieiunio celebra-
ti.

Can. 33.

Quo ritu veteres
Germani celebra-
runt maiores
litanias, rogatio-
numque dies.

CONCILIVM porrò Moguntiacum Carolo Magno adhuc imperante celebratum ieiunio, & precibus cinerem quoque & cilicium adiungit. Sanctio illius ita sonat: Placuit nobis, ut litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, non preciosis vestibus induti, sed discalciati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impediuerit. Non fit hinc expressa ieiunij mentio, nihilominus ex adiunctis res est manifesta; siquidem cilicia, & cineres, & nudipedalia à ieiunio & abstinentia antiquitus nunquam ferè seiungebantur. Accedit huc quoque quòd Canon se referat ad maiorum statuta; atqui trecentos annos ante id tempus vulgò per illos dies ieiunia obtinebant.

QVOD si veteres Germani rogationum dies tanta deuotione & pietate celebrabant, facile est, diuinare quo animi sensu, quantaque religione Quadragesimæ ieiunium obseruarint. Cæterum ex hoc Rogationum ieiunio idem fere nobis relictum est, quod ex ieiunio sabbati, profabbati, & diei Mercurij, abstinentia nimirum à carnibus; quanquam istud quoque non omnino plenè; siquidem quibusdam locis dies illi, quod ad ciborum delectum spectat, à cæteris nihil discrepant. Alicubi primò & vltimò abstinetur, interiecto autem, hoc est, die martis non abstinetur. Alibi solus vltimus inter ieiunales habetur. Denique quæuis regio suos hinc habet ritus & consuetudines, à quibus, si bonæ sunt, indigenis recedere non licet. Interim verum est, quod diximus, nempe rogationum ieiunium secundum se absolutè hac ætate nõ esse præcepti, sed tantum consilij.

Magna hac ætate
varietas in die-
rum rogationū
obseruatione.

AD

AD Dominici aduentus ieiunium pertinet illud Innocentianum: Ieiunium apud nos in aduētu Domini agitur. Hoc ieiunium in solis ferè monasteriis hac tempestate obtinet, cum æquè tamè ab Apostolis institutum credi queat, ac ieiunium Quadragesimæ. Quod si qui extra monasteria etatem agentes, illud seruant, nullo legis vinculo compulsi seruant, sed solo virtutis amore pietatisq; studio ducti.

DE ieiunio menstruo Concilium Elibertinum ita cauet: Ieiunia vel abstinencias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensum Iulij & Augusti ob eorundem infirmitatè. Hæc Elibertinæ Synodi Canon vigesimustertius, qui subobscurus est: Siquidè ex hoc decreto certò colligi non potest quotoquoilibet mensis die ieiunaretur, aut quot intra mensem diebus ieiunaretur; nam toto mense ieiunatum fuisse non fit verisimile; nisi quis forsan sanctionem illam non ad omnes, sed tantum ad monachos pertinuisse existimet: Quandoquidem Synodus Turonensis secunda, toto anno excepto tempore paschali, & mense Augusto monachos ad statuta quædam ieiunia obligat. verba Canonis sic habent:

DE ieiuniis antiqua statuta à monachis seruentur; vt de pascha vsque ad Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, fratribus omni die prandium præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. Postea vsque ad Calendas Augusti ter in septimana ieiunent, secunda, quarta, & sexta die, his exceptis, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto quotidie prandium habeant. In Septembri toto & in Nouembri ter in septimana ieiunent. In Decembri vsque ad natalem Domini omni die ieiunent: inter natalem & Epiphaniam excepto triduo item prandebunt. Post Epiphaniam vsque ad Quadragesimam ter in septimana ieiunent: Hactenus Turonensè Concilium de monachorum ieiuniis, quæ hac ætate non ita frequentem vsu habent. Nam etsi monachi frequenter ieiunent, non vbiq; tamen eum ieiunandi ritum obseruant.

QUATVORDECIM dierum ieiunium ante Ioannis Baptistæ natalem omnibus Christianis indicit Synodus Saiegunstadiensis, ante quingentos annos in Oppido Selgenstad vulgò appellato celebrata. Synodi decretum ita sonat: Volumus, vt quatuor-

b 3 decim

De obserua. ieiunij consilium.

Romæ in aduētu Domini quòdam ieiunatum.

Canon. 23.

Canon. Con. Elibertini de ieiunio menstruo subobscurus.

Canon. 18.

Ieiuniorum ritus & modus monachis in Turonensi Synodo definitus, maiorè partè in distuetudinem hoc tempore abiit.

Canon. 1.

Ieiunium quatuordecim dierum ante D. Ioannis festum quondam indictum & celebratum,

Magna vis consuetudinis in statuendis & abrogandis legibus.

Ieiuniorum legitime indictorum quaedam sunt communia, quaedam loci alicuius propria.

Metropolitani & Dioecesani populi consensu accedente ieiunia & festa indicere possunt.

Communia & propria ieiunia in tribus differant.

decim dies omnes Christiani ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistae in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediante, aut alicuius festi solennitate. Quod autem non de sola à carne & sanguine abstinentia, sed de perfecto ieiunio agat, id, quae in eodem illo Canone mox subiunguntur, planum faciunt; sequitur enim: & ante natiuitatem Domini similiter, & in vigilia Epiphaniae, & in omnibus vigiliis Apostolorum, & in vigilia assumptionis S. Mariae, & in vigilia S. Laurentij, necnon etiam in vigilia omnium Sanctorum. Haec sane de sola abstinentia à carne & sanguine commodè exponi non possunt: Constat enim plerasque vigilias hoc loco recensitas integrum ieiunium deposcere. Huius mensis Iunio indicti ieiunii nullum, quod equidem sciam, hoc tempore extat vestigium: Vnde multò magis est liberum, quàm cetera, quorum haecenus meminimus. Tantam in statuendis & abrogandis legibus vim habet consuetudo. At iam ad ieiunia necessaria reuertamur; de his enim ex instituto in hoc opere differimus.

IEIUNIORVM porro necessariorum seu preceptorum, quaedam sunt communia, quaedam propria. Propria appellamus, quae non passim per Ecclesiam celebrantur, aut praecipi vim obtinent; sed in certis tantum prouinciis, Dioecesibus, Collegiis, vel Ecclesiis. Cuiusmodi sunt ea ferè, quae ob peculiarem aliquam causam, peculiarium prouinciarum, Dioecesum, Ecclesiarum, vel Collegiorum Rectores, in locis, iurisdictioni suae subiectis, instituit, vel olim instituerunt. Nam ut vnusquilibet sui compos voto vel iuramento ad certum ieiunium seipsum obstringere potest; ita Metropolitani vel Dioecesani, populi consensu antecedente, ob illustre aliquod beneficium toti prouinciae vel dioecesi diuinitus collatum, in gratiarum actionem, vel ad propulsandam praesentem aliquam pestem, aut cladem impendentem, aliquod peculiare ieiunium vel festum instituere possunt.

COMMUNIA è diuerso ea dicimus, quae non in hoc vel illo priuato loco; sed passim per orbem Christianum obtinent. Nec hunc rursus vel illum populum seorsim ad sui obseruationem obligant; sed omnes, qui aliàs à ieiunij lege non absoluuntur, promiscue. Nec ab hoc demum, vel illo priuato Episcopo vel Praelato indicta sunt; sed à supremo totius Ecclesiae magistratu. Cuiusmodi est ieiunium Quadragesimae, quatuor temporum, & quarundam vigilia-

vigiliarum: Atque tria hæc sunt potissima, in quibus communia & propria ieiunia inter se discrepant. In aliis autem maiorem partem conspirant.

ET ENIM tria illa, quæ intrinsecam ieiunij rationem absolunt, communibus & propriis ex æquo conueniunt, nisi quis forsan de hoc questionem moueat, quod ciborum delectus in Quadragesima aliquatò est accuratior, quàm extra Quadragesimam. Nam in Quadragesima, nisi patriæ cõsuetudo vel pontificis indultum aliud permittat, non solum à carnibus abstinendum est, verum etiam ab ouis & lacte & caseo, cæterisque, quæ ex carne originem trahunt. At verò in extraquadragesimalibus ieiuniis, nisi mos patriæ alicubi reclamet, lacticiuiis uti licet. Consentiant hoc rursus, quod vtraque inculpatè violantur, cum iusta rationis; cõsentanea adest violandi causa; aut eiusmodi, quæ bona fide iusta censetur, esto reuera iusta non sit, aut dubia quoque, superioris tamen auctoritate approbata. Nam qui ratione vel superioris auctoritate nititur, siue agat, siue ab opere cesset, non facillè fallitur.

CONSENTIUNT hoc tãdem, quod neutra citra culpam temerè soluuntur. Neque enim ij solum peccant, qui communia citra causam iustè excusantem, vel piam necessitatem violant, sed ij etiam, qui loci alicuius propria infirmant. Vnicuique, scribit Rabanus, ut lubet, ieiuniorum modum habere licet, seu in ediam extendere: seruata præ omnibus constitutione legitimorum ieiuniorum, quæ suprã commemorauimus, quæ generaliter sancta & Apostolica seruat Ecclesia: Sed & illa quoque seruare oportet vnumquemque, quæ cõmuniter omnibus facere, siue pro tribulatione, siue pro gratiarum actione proprius Ecclesiæ mandat Episcopus. Quia qui constituta & demandata ieiunia seruare neglexerit, peccat; qui autem expletis legitimis priuata superaddiderit, propriam mercedem habebit. Hæc Rabanus, quæ planum faciunt, non tantum communia obligandi vim obtinere, violataque noxam adducere, sed loci quoque cuiusque propria.

VERVM enim uerò licet omne omnino ieiunium obligatorium absque causa calcatum noxam adducat, non quoduis tamen semper parem: Quandoquidem ea maiorem adducere solent, quæ à maiori auctoritate sunt profecta, ea contra minorem, quæ à minori potestate sunt indicta. Cum ergo maior sit auctoritas

Aposto-

Communia & propria ieiunia in tribus conueniunt.

Lib. 2. ca. 25. de Cler. instit.

Peccant, qui cõstituta ieiunia negligunt, siue ea propria fuerint, siue communia.

Non omnia ieiunia paris sunt obligationis.

Apostolorum & totius Ecclesiæ, quàm cuiuscunq; Metropolitanus; & huius rursus potior, quàm cuiusvis Diocessani aut alterius cuiusque inferioris Prælati; fit, vt cæteris exæquatis, magis peccent, qui citra iustam causam frangunt vel contemnunt communia, quàm qui propria: Siquidem communia omnia ab Apostolis vel sede Apostolica, vel, quod in idem ferè redit, ab vniuersalis Ecclesiæ auctoritate sunt orta, & promulgata. Et inter eos, qui soluunt propria, magis offendunt, qui ea flocci faciunt, quæ religiosè obseruantur in tota prouincia, quàm qui ea, quæ in vno solo Episcopatu, vel in vna tantùm parochia, aut in vno solùm Collegio.

Communia ieiunia maiorem partem ab Apostolis orta.

SUNT qui inter communia & propria hoc quoque intercedere asserunt, quòd hæc illis plerunque sint minùs diuturna. Nam etsi propria perpetua esse queunt, sicut propria quoque festa; ferè tamen eiusmodi non sunt, siue id inde eueniat, quòd causas habeant plurimùm momentaneas; siue inde etiam, quòd priuatæ Ecclesiæ rector facili momento id soleat euertere vel antiquare, quod alius instituerat. Communia autem quòd maiori ex parte perpetuas vel graues certè causas habeant, non ea facilitate abrogantur, quamuis per contrariam consuetudinè abrogari queant. Quemadmodum multa iam, quæ in primitiua Ecclesia piè & religiosè obseruabantur, nunc in dissuetudinè abierunt. Quare nulla simpliciter sunt perpetua, hoc est, ita firma, vt opposita consuetudine vel alio modo labefieri non queant.

Communia ieiunia plerunq; magis diuturna, quàm propria, & quare?

Nullum ieiunium ita firmum, quod cõtraria consuetudine abrogari non queat.

Quid intercedat inter cõmunia ieiunia.

Zachar. 8.

CAETERVM inter communia ieiunia hoc præter cætera intercedit, quòd præferiarum pleraque omnia ab Ecclesiæ Hierarchis, post Apostolorum consummationem sunt instituta. Quadragesima autem ab ipsis Apostolis est nata. Idem affirmant quidam de ieiunio, tertio quoque mense recurrente. Alij aliud de illius origine statuunt. Vt cunq; res habet, certum est æquè in veteri Testamento adumbratum esse atque ieiunium Quadragesimæ. Scriptum est enim: *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætiam, & in solennitates præclaras.*

VT ergo Apostoli ad Moyse, Eliæ, & CHRISTI exemplum instituerunt ieiunium Quadragesimale; ita, vt quibusdam placet, ad similitudinem ieiunij, quod Iudæi quarto, quinto, septimo, & decimo

decimo mense celebrabant, quatuor temporum ieiunia instituerunt. Verum de hac re loco magis idoneo postea: hinc enim de Ecclesiasticorum ieiuniorum qualitate, eorundemq; inter se discrimine solum disputamus. Porro de communium ieiuniorum generibus non est quod aliquam peculiarem tractationem hinc instituamus: Siquidem ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, satis exploratum est, omnia communia ieiunia ad tria capita reduci, nempe ad ieiunium Quadragesimæ, ad ieiunium quatuor temporum, ad ieiunium præferiarum, seu vigiliarum. Quod si quid adhuc superest, quod explicatione indiget, id, dum de singulis seorsim differemus, palam fiet.

Omnia communia Ecclesie ieiunia ad tria capita referuntur.

Inter communia ieiunia, quodcumq; tandem spectare lubeat, principem locum obtinere ieiunium Quadragesimæ.

CAPVT NONVM.

QUACROSANCTVM Quadragesimæ ieiunium in tanta apud veteres veneratione fuit, vt quidam primi nominis Theologi non humanam institutionem, sed diuinam traditionem esse scribere nõ dubitauerint. Sed & illi ipsi quoq; qui illius originem & institutionem ad Apostolos referunt, vt pleriq; omnes referunt, non absq; secreta DEI inspiratione ab iisdem institutum disertè asserunt.

Ieiunium Quadragesimale in magna apud veteres veneratione fuit.

CAETERVM Quadragesimæ nomine aliud nihil hoc loco accipimus, neq; deinceps accepturi sumus, quàm quadraginta dierum ieiunium; siue illud ordinarium fuerit, humanæq; naturæ viribus aptum; siue extraordinarium, communisq; naturæ vires excedens. Ordinarium fuit Niniuitarum; nam etsi primo triduo, cuius solius scripturæ meminerunt, fuerit quodammodo extraordinarium, (abstinebāt enim homines & pecora ab omnibus) reliquis tamen 37. diebus (quadraginta enim totos dies ieiunius, aliisq; pœnitentiæ munitis vacasse creduntur, non tres tantum) fuit communi ieiunantium legi consentaneum. Prodigiosum & quasi extraordinarium fuit Moyfi, Eliæ, & CHRISTI. Transegerunt hi enim 40. dierum intervallum absq; vilo omnino cibo & potu, id quod solis naturæ viribus instructi, præstare non poterant.

Quid accipitur nomine quadragesimæ.

Ionæ 3.

Moyfi, Eliæ, & Christi ieiunium prodigiosum.

C

QVIN

QVIN post CHRISTVM quoque, Moysen, & Eliam com-
 perti sunt, qui peculiari DEI spiritu adiuti corroboratiq; tantum
 dierum interuallum absq; vlllo naturali alimento transmitterent.
 Nam vt de aliis, quorum alij meminerunt, nihil dicam, Theodo-
 retus peruetustus scriptor refert, Simeonem quendam insignem
 DEI seruum, Moysi & Eliæ diuinorum virorum exemplo 40. dies
 sic ieiunasse, vt post eos sacram communionem, & postea lactu-
 cas, aliaque ægrè admitteret. Id ipsum ter præstitisse com-
 morat idem auctor Maranam & Cyram sanctas mulieres. De ie-
 iunio hebdomadario absque vlllo cibo transacto extant plura e-
 xempla, quàm vt paucis referri queant. Quæ sanè ieiunia si pro-
 digiosa extitisse negas, miraculi certè manifesti expers non erat,
 quòd tali ieiunio se affligentes æquè vegeti comperiebantur die
 vltimo, quo ieiunandi finem faciebant, ac primo, quo ieiunare
 cœperant.

DE numeri huius quadragenarij mysteriis & symbolis multi
 multa adferunt. Nos Ambrosium, Hieronymum, Augustinum,
 Gregorium, aliosq; veteres ea de re differentes audire malumus,
 quàm priuatam sententiam depromere. Ambrosius: Quadragin-
 ta dies mysticum numerum agnoscis. Tot enim diebus aquas
 abyssi effusas esse meministi. Tot ieiunio dierum sanctificato re-
 fusam cœli serenioris esse clementiam. Tot dierum ieiunio Moy-
 ses perceptionem legis emeruit. Tot annos in eremo constituti
 Patres panem Angelorum & cœlestis alimonix gratiam conse-
 cuti sunt. Nec antequam mystici numeri tempus replerent, ter-
 ram promissionis intrare meruerunt. Tot dierum ieiunio ad Do-
 mini Euangelium nobis patescit ingressus. Vnde si quis Euange-
 lij gloriam fructumq; resurrectionis oprat adipisci, mystici ieiunij
 præuaricator esse non debet.

HIS cognata sunt hæc Augustiniana: Salutaris & mysticus est
 quadragenarius numerus. Nam primùm cum mundi faciem ini-
 quitas hominum possideret, tot dierum curriculo DEVS effulsit
 de cœlo imbribus, vniuersam terrâ diluuiio superfudit. Vides ergo
 in illo tempore mysterium in figura depositum. Nam sicut tunc
 40. diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc 40. diebus
 miseretur ad hominem purificandum. Et alio rursus loco idem:
 Quadraginta dies sepultura, quos commemorat scriptura, forte
 signi-

In Philo. ca. 26.

Comperit post
 Christum & Moy-
 sen, q totos 40.
 dies absque vlllo
 cibo & potu
 transmitterent.

Cap. 29.
 Admirabile ie-
 iunium Simeo-
 nis Maranae, &
 Cyrae.

Ad c. 4. Luc.
 Genes. 7.
 Genes. 8.

Exod. 34. 24.

Matth. 4.
 Lucae 4.

Ser. 67. de temp.
 Genes. 7.

Lib. 1. c. 169. q.
 sup. Genes.

significant aliquid pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur. Non em̄ frustra 40. dies ieiuniorum sunt cōstituti, quibus Moyses & Elias & ipse Dominus ieiunauit. Et Ecclesia præcipua obseruatione ieiuniorum Quadragesimam vocat. Vnde & in Hebræo de Niniuitis apud Ionam Prophetam scriptum perhibent: Quadraginta dies, & Niniue subuertetur: Vt per tot dies pœnitētium humilia-
 tioni accommodatos, intelligatur in ieiuniis sua defleuisse peccata, & impetrasse misericordiam DEI. Hæc ea disertè confirmant, quæ paulò antè de Niniuitarum ieiunio ad quadraginta dies porrecto asserebantur.

SED & Hieronymus quoque locum iam citatum exponens, idem neutiquam obscure confirmat; scribit enim: Quadragenarius numerus conuenit peccatoribus, ieiunio, & orationi, & facco, & lachrymis, & perseverantiæ deprecandi. Ob quod & Moyses quadraginta diebus ieiunauit in monte Syna, & Elias fugiens Iezabel 40. dies ieiunasse scribitur. Ipse quoque Dominus verus Ionas missus ad prædicationem mundi, ieiunauit 40. dies; & hæreditatem nobis ieiunij relinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero animas nostras præparat. Nam si Niniuitæ triduum tantum ieiunassent, aliis quæ pœnitentiæ officiis sese occupassent, parum omnino ad rem facerent, quæ de quadragenario pœnitentiæ dierum numero, de Moyse, Eliæ, & CHRISTI veri Ionæ ieiunio hic adfert Ionæ interpret. Constat enim, hos omnes non trestantum, sed 40. totos dies ieiunasse.

IDEM Hieronymus de numeri huius symbolis, eiusdemque mysteriis alio loco ita scribit: Numerus quadragenarius afflictionis & pœnitentiæ est; vnde & Moyses, & Elias, & ipse Saluator 40. diebus & noctibus ieiunarunt; & per 40. annos populus errat in solitudine, vt postea circumcisus in Galgalis, opprobrio & ignominia Aegypti liberaretur: in cuius numeri Sacramento & hic Propheta Ezechiel pro tribu Iuda 40. dies dormit in dextero latere; & quadringentis annis populus seruiturus in Aegypto indicatur, qui faciunt 40. decades, siue quatuor hecatondades. Pluuia quoque diluuij 40. diebus inferunt orbi naufragium. Iustum enim erat, qui per quatuor elementa, quibus omnia constare dicuntur, DEVM offenderat, in ipso numero puniretur.

Gen. 50.

Exod. 24. 34.

3. Reg. 19.

Ionæ 3.

Niniuite ad 40. dies ieiuniis, aliisque pœnitentiæ operibus vacarunt.

Ad c. 3. Ionæ.

Exodi 34.

3. Reg. 19.

Matth. 4.

Lucæ 4.

Ad c. 29. Ezech.

Exod. 24. 34.

3. Reg. 19.

Lucæ 4.

Iosue 5.

Gen. 15.

Gen. 7.

Hom. 6. in Eu-
angel.

Per Quadra-
gimæ ieiunium
anni decimas
DEO perfolu-
mus.

De quatuor die-
bus, qui lex qua-
dragesimæ heb-
domadib. ad 40.
dierum numeri
explicum adii-
ciantur, variæ
sententiæ.

Nō eodem ritu,
modo & tempo-
re Quadresimæ
sue celebra-
ta apud oēs.
Lib. 9. cap. 38.

In oīs temporibus
Quadresimæ
magna apud
veteres varietas.

BEATVS Gregorius 40. dierum ieiunium, quasi anni deci-
mas à nobis exigi alicubi tradit. A prima Dominica Quadresimæ,
scribit ille, vsq; ad pascha Dñi sex hebdomadæ computantur,
quarum videlicet 42. dies sunt, ex quibus dum sex Dominici dies
abstinentiæ subtrahuntur, nō plus in abstinentia quàm 36. remanent.
Verbi gratia, si per 365. dies annus voluitur, deinde per 36.
affligimur, quasi anni decimas DEO damus; sed vt facer numerus
40. dierum adimpleatur, quem Saluator noster sacro suo ieiunio
consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum
40. dierum, id est, quarta feria, quæ est caput ieiunij, subnotatur, &
quinta feria sequens, & sexta feria, & sabbatum. Nisi enim istos
dies quatuor 36. superioribus adiunxeris, 40. dies in abstinentia
non habemus. Iubemur autem ab Omnipotente omnium bono-
rum nostrorum decimas dare. Hactenus Gregorius.

EANDEM quadragesimæ ieiunij rationem, post Gregorium,
assignat etiam Isidorus. Cassianus cæteris mystici numeri huius
symbolis addit etiam 40. mansiones, quas populus Israeliticus ha-
buit in deserto. Quatuor adiectitias dies, quæ quadragesimum
numerum iuxta B. Gregorij expositionem explent, quidam ad
eorum peccatorum punitionem referunt, quæ ex inordinato crea-
turarum, quæ ex quatuor elementis constantur, amore proficiuntur.
Alij ad eorum, quæ ex quatuor capitalibus animi affectioni-
bus oriuntur. Nonnulli ad expletionem quatuor temporum, quæ
in Quadresimam incidunt. Alij aliò, prout in eiusmodi sym-
bolis quilibet in suo sensu abundare solet.

IEIUNII porro quadragesimalis ritus, siue ciborum dele-
ctum, siue dierum numerum, siue ieiunationis initium species,
non idem fuit apud omnes semper, sed alius frequenter apud alios
populos & nationes: De vario ciborum delictu agunt hæc Socra-
tis Scholastici Constantinopolitani: In ieiuniis ciborum abstine-
ntiam non similem habent. Nam alij ab animatis omnino absti-
nent: Alij ex animantibus pisces solummodo comedunt: Qui-
dam cum piscibus vescuntur etiam volatilibus, dicentes hæc se-
cundum Moysen ex aqua habere substantiam: Alij verò etiam à
carnibus & ouis abstinent: Quidam sicco tantum pane vescun-
tur: Alij ne hoc quidem. De diuerso autem dierum numero hæc
D. Irenæi disserunt.

NON

Non de die paschali solum, sed etiã de ieiunij ratione & modo est ista constituta controuersia. Quidam namque vnum diem se ieiunare existimant, alij duos, non pauci plures, multi 40., atq; diurnis nocturnisque horis omnibus numeratis diem suam metiuntur & statuunt. Atque eiusmodi eorum, qui hæc obseruabant ieiunia, varietas & discrepantia non nostra ætate cœpta est, verum etiam longè antè apud maiores nostros, qui, vt coniectare licet, non accuratè consuetudinem illorum, qui vel simplicitate quadam, vel priuata auctoritate, aliquid in posterum tempus statuisent, obseruarunt. Hucusque Irenæus.

Non multum ab his discrepant hæc Hermiæ Sozomeni: Iam illam, quæ hinc processit, quæque appellatur Quadragesima, in qua populus ieiunat, alij in sex diebus septimanas computant, vt Illyrij & qui ad occidentem siti sunt, nec non & vniuersa Lybia & Ægyptus cum Palæstinis: Alij in septem, vt Constantinopolitani & nationes circumiacentes vsque ad Phœnices: Alij sparsim tres intra sex aut septem istas ieiunant: Alij tres pascha immediatè præcedentes continuant: Alij duas, vt Montani Sectatores. Hæc Sozomenus.

De diuerso tandem exordiendi modo & hæc ipsa agunt. (certum est enim, qui septem hebdomadas ieiunant, citiùs inchoare Quadragesimam, quàm qui sex tantum: & qui sex, citiùs rursus, quàm qui tres solum; & qui tres septimanas, citiùs quàm qui vnam solum aut duos dies ieiunant. Statuimus hinc enim, omnes ad solennitatem paschalem, ieiunium absoluere, illudque eodem vbiq; tempore celebrari.) Et ea rursus, quæ venerabilis Beda ea de re annotauit: Siquidem libro de offi. Ecclesiæ inter cætera docet, alios Quadragesimã à Septuagesima auspiciari solitos, alios à Sexagesima, alios à Quinquagesima, alios à Quadragesima, alios tandem à die cinerum, hoc est, à feria quarta ante Dominicam Quadragesimã.

A Septuagesima ieiunandi initium faciunt nonnulla religionum hominum collegia. Auspicabantur inde quoque, si historie Polonicæ fides est, veteres Sarmatæ. A Sexagesima, tempore venerabilis Bedæ, plerique Græci. A Quinquagesima religiosi & clerici, qui Thelesphori sanctioni paruerunt; & multi etiam nunc Orientalis Ecclesiæ Christiani. A Quadragesima Mediolanenses

Epistol. ad Viã.
Pont. Max.
Eus. li. 5. c. 24.

Ætate Irenæi &
de Quadragesima
& de paschatis
ratione controuersia nõ parua.

Lib. 7. c. 19.

Variis ritus ex
ordiendi Quadragesimam.

Lib. 9. c. 38. hist. trip.
Falluntur qui B. Gregorium quatuor dies Quadragesimæ adieciſſe opinantur.

& Hellas vniuerſa, ſi vera ſunt, quæ ea de re commemorat Socrates. A die cinerũ tandem quotquot ferè Romanæ Eccleſiæ ritum & fidem æmulantur, & iam inde ab initio æmulati ſunt. Falluntur enim, qui dies illos quatuor, qui Dominicam Quadrageſimę proximè antecedunt, Gregorium adieciſſe nugantur. Extant namq; Auguſtini & aliorum vetuſtiſſimorum Patrũ ſermones Quadrageſimales in diem cinerum, & alios tres ordine conſequentes habiti, in quorum vno Auguſtinus ſuos ita affatur:

Sermon in ſabb. ante Quadrag.

ROGO vos, fratres chariſſimi, & admoneo, vt in iſto legitimo & ſacraſſimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat, niſi forſan ille, quem infirmitas ieiunare non permittit. Quia aliis diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium: In Quadrageſima autem non ieiunare peccatum eſt. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadrageſima qui non ieiunat, ſentiet pœnam: & tamen qui ieiunare non præualeat, ſecretiũ ſibi ſoli, aut ſi alius infirmus eſt, cum ipſo in domo ſua præparet, quod accipiat, & illos, qui ieiunare præualeant, ad prandium non inuitet. Quia ſi hoc fecerit, non ſolum DEVS ſed etiam homines poſſunt intelligere, illum non pro infirmitate, ſed pro gula ieiunare non velle.

Qui in Quadrageſima non ieiunat, pœnam ſentiet.

Lib. 9. c. 38.

AT magis fallitur Socrates, qui populum Romanum tres tantũ hebdomadas ante ſacrum paſcha ieiunare conſueuiſſe commemorat. Nihil enim certius, quàm Romanos id ſtudioſè & religioſè obſeruafſe, quod à D. Petro, eiufdemq; ſucceſſoribus acceperant. Ab illis autem non vigefimam aut vix vigefimam (Adimitis enim cuiſlibet ſeptimanæ duos dies, ſabbatum nimirũ & Dominicam; ſed eadem fide, qua alterũ illud: Cõſtat namq; Romanos nõ ſolum intra Quadrageſimam, ſed extra Quadrageſimã quoq; ſabbatum in ieiuniis habuiſſe) ſed acceperant Quadrageſimam; compertum enim habebãt illud commune Apoſtolorum decretũ: Si quis Epifcopus, aut Presbyter, aut Diaconus Quadrageſimã nõ ieiunauerit, deponitor; ſi laicus ſit, cõmunionem priuator. Tum illud rurfum Ignatij: Quadrageſimam nolite pro nihilo habere, imitationẽ enim continet DEI conuerſationis. Tum illud deniq; Clementis Romani, aut D. Petri veriũs per Clementem promulgatum: Seruandum eſt à nobis ieiunium Quadrageſimæ, quod continet memoriam conuerſationis & legiſlationis Domini.

Lib. 5. c. 13.

Quod

Quod si quis Thelesphorum, qui sextus à Petro Romanam cathedram obtinuit, non quadraginta, sed quadraginta duos dies ieiunio consecrasset obiiciat: is paucis responsum habeat, prædictum pontificem quadragenarium numerum, quem ab Apostolis acceperat, non mutasse; sed clericos, quò ab aliis secernerentur, comune omnium ieiunium biduo anticipare voluisse. Quod dicimus, ex illi^o d. 4. c. statulmus.

constitucione manifestum est; ait enim: statuimus, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici, id est, in sortem Domini vocati, à carne ieiunent. Quia sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conuersatione; ita & in ieiunio debet esse discretio. Hæc sanè commune ieiunium, quod ante Telesphorum in Romana Ecclesia receptum erat, non mutant, sed clericis, quid cæteris amplius præstare debeant, insinuât, & hoc ipsum adhuc per modum consilij veriùs, quàm absoluti præcepti; nam si absoluto præcepto id cauisset, non solum Monachi & regulares clerici huic decreto paruissent, sed cæteri omnes, quotquot ordinis extitissent Ecclesiastici, quod tamen ordinariè non fit, neque antè quoq; factum fuit. Imò verò ne fieret, alicubi inhibitum videtur. certè Aurelianensis Synodus quiddam eiusmodi præ se fert; ait enim: Id sacerdotibus omnibus est decretum, vt ante paschæ solennitatem non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur. Can. 26.

Thelesphori sanctio de Quadragesima anticipanda non obtinuit.

ALLEGANT alij, Orientales pleròq; septè vel octo hebdomadas ante pascha ieiunium ordiri, adeòq; quadraginta dierum numerum accuratè non obseruare. Sed neq; hi quoq; q̄ de numero quadragenario dicta sunt, infirmant: Quandoquidè octo dominicis, totidemq; sabbatis, quibus ipsi ieiunare non solent, ab octo hebdomatibus sublatis, 40. tantum dies ieiunio consecrati manent reliqui. Instas: ergo qui septè solum septimanis ieiunant, tantum 38. dies ieiunabiles reliquos habent. Respondet Damascenus duplex esse ieiunium, alterum quod à vespera ad vesperam vsq; in *παρατελεσαστια* producit, quod plenum perfectumue appellari potest; alterum quod in *την ἡμέραν ἑξαμέταρον ἀποχῆν* positum, constituit quoddam semiplenum, siue portionale ieiunium. hoc obtinebat, & etiam nunc obtinet apud Orientales die sabbati; illud in quinque reliquis diebus. atq; ita habemus quadragenarium dierum numerum plenum, vel aliquid etiam eò amplius. Hac distinctione illorum quoq; ieiunium, quod quidem ad dierum numerum attinet, Quadragesima appellari potest; qui

Duplex ieiunium, plenum & semiplenum.

qui feria secunda post Dominicam primam Quadragesimæ ieiunare incipiunt. Nam & ipsi quoque reliquis Dominicis *τινῶν βρωμάτων ἀπέχουσι*, hoc est, à carnibus, ovis, cæterisque eiusmodi abstinent.

SIVE ergo Orientales Quadragesimam suam auspicentur à Quinquagesima, ut eam inde inchoari volunt Athanasius, Petrus Martyr Patriarcha Hierosolymitanus, Basilus Magnus, Anastasius Antiochenus, imò ipsæ quoque constitutiones Apostolicæ; siue à Sexagesima, ut eandem ex quorundam sententia exordientiam existimat sanctus Dorotheus; siue à Quadragesima; siue à die Cinerum; siue à quocunque alio certo præfinitoque die, ad vnum omnes ieiunium illud Quadragesimæ nomine designant, eiusque vim & usum amplissimis verbis deprædicant. Origenes: habemus Quadragesimæ dies ieiuniis consecratos. Theophilus Alexandrinus: Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites solent, vini poculum suspiremus, neque in prælio, ubi labor & sudor est necessarius, carniū edulio delectemur. Cyrillus: Illi ieiunant, qui perdididerunt sponsum, nos ieiunare non possumus, habentes nobiscum sponsum. Neque hoc tamen dicimus, ut abstinentiæ Christianæ frena laxemus; habemus enim Quadragesimæ dies ieiunio consecratos.

CHRYSTOMVS: Hodie ingenti alacritate surrexi, vñ à vobiscum lætitiæ illius spiritualis particeps futurus, & volens aduentus sanctæ Quadragesimæ, remedij, inquam, animarum nostrarum vobis annūciator esse. Communis enim noster omnium Dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea, quæ vnquam peccauimus abluere, hanc nobis, quæ per ieiunium sit, curationem adinuenit. Augustinus. Adest nobis venerabile tempus Quadragesimæ, charissimè, per quod ieiunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus. Quantum ergo sit bonum ieiunium, breui sermone, exemplis additis, disseramus. Moyses primus 40. diebus & noctibus cum ieiunasset, legem Domini accipere meruit, per quam populus imperaret. Impetrauerunt vnus hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperauerat.

AMBROSIVS: Qui dicit, se in CHRISTO manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes, quod CHRISTVS, & ipse facere. Ille, qui peccatum non habebat

ἐν τοῖς ἑορτ.
Ser. cont. ebriof
ἐν τῷ ὁδῷ.
Lib. 5. c. 15.

Li. de ieiun.

Serm. 3. Pasch.

Lib. 10. in Leuit.

Marc 2.
Lucæ 5.
Hom. 1. in
Genes.

Ieiuniis abluuntur peccata.

Ser. 15. de temp.

Ieiunio peccatorum vulnera sanantur.
Exodi 24 34

Sermon. 25. de Quadr.

habebat, Quadragesimam ieiunauit, tu non vis Quadragesimam ieiunare, qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es? cum CHRISTO pro te esuriens, non ieiunas? Non igitur, vt dixi, leue peccatum est, indictum violare ieiunium. Idem: Bonum est quidem, cunctis temporibus ieiunare, sed melius ieiunare Quadragesimam cum CHRISTO. Hanc enim nobis Quadragesimam Dominus suo ieiunio consecrauit. Et infra: Superiori Dominica prædicauimus, quòd sanctam Quadragesimam abstinendo ipse Dominus consecrauit, quam in totum non obseruare, sacrilegium est, ex parte violare, peccatum est.

BASILIVS Magnus: Nulla est insula, nulla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non fit auditum ieiunij edictum: Quin & exercitus, & viatores, & nauaræ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio accipiunt. Ne quis igitur se excludat à numero ieiunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Angeli sunt, qui in singulis Ecclesiis describunt, ac recensent ieiunantium capita. Hæc Basilius de Quadragesimæ ieiunio; de eo enim ibi verba facit.

BERNARDVS: Hodie sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc obseruatio, vna omnium est, quicumque in eandem fidei conueniunt vnitatem. Et infra: Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vesperam ieiunant nobiscum vniuersi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper. Hinc patet, non modò Basilij, sed D. Bernhardi quoq; tempore, qui secula aliquot Basilium consecutus est, paucissimos à ieiuniorum lege fuisse exemptos; Tum eadem illa ætate Quadragesimæ ieiunium, si non passim, certè in Galliis, ad noctem vsque produci solitum fuisse. Scribit enim: hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsq; ad vesperam ieiunant nobiscum vniuersi.

GREGORIUS Nazianzenus: CHRISTVS paulò ante tentationem ieiunauit, nos ante pascha. Ieiunium vnum & idem est, at vtriusq; temporis non parua est differentia. Ille enim ieiunium aduersus tentationum impetus obiecit; nobis autem hoc ieiunio

d signifi-

Serm. 34.
Non leue peccatum est, indictum ieiunium violare.
Serm. 37.

Hom. 2. de ieiun.

Angeli obseruât & describit singulorum ieiunantium capita.

Ser. 1. de Quadr. Quadragesimæ tempus militiæ Christianæ.

Hom. in C. Bapti. Alio Christus, alio tempore nos ieiunium celebramus.

significatur, cum CHRISTO emoriendum esse: Ille 40. totos dies à cibo abstinuit, utpote DEVS, nos autem ad virium nostrarum modulum attemperamus.

Epist. ad Marcel. HIERONYMVS: Nos vnã Quadragesimã secundũ Apostolorum traditionem toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus; illi tres in anno Quadragesimas faciunt, quasi tres passi sint Saluatores; non quòd per totum annum, excepta pentecoste, ieiunare non liceat; sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.

Ser. 1. de Quadr. Magna vis fructusque ieiunij quadragesimalis.

LEO Magnus: Scientes dæmones, nos agere sacratissimos dies Quadragesimæ, in quorum obseruantia omnes præteritæ desidiæ castigantur, omnes negligentia diluuntur, ad hoc totam suæ malignitatis vim intendunt, ut celebraturi sanctũ Pascha Domini in aliquo inueniamur indigni; & vnde nobis obtinenda erat propitiatio, inde cõtrahatur offensio. Et infra: Quando opportunius, dilectissimi, ad remedia diuina recurrimus, quàm cum ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ, temporum lege referuntur? quæ ut dignius celebremus, saluberrimè nos 40. dierum ieiunio præparemus.

Serm. 5.

Ep. ad omnes Ep. c. 10.

In Quadragesima ab amplexibus abstinedum vigiliisq; & orationibus vacandum.

LIBERIVS Pont. Max. Abstinedũ est his sacratissimis 40. diebus à coniugibus, & castè & piè viuendum est, ut sanctificato corde & corpore isti dies transigantur; donec perueniatur ad diè sanctum Paschæ; quia nihil penè valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigilia, & eleemosynæ non commendant. Hæc diligenter obseruent tum cæteri omnes, tum ij maximè, qui non solum totam Quadragesimam, sed totam penè vitam in publico concubinitus sacrilegio summoque luxu & obscenitate transigunt.

Lib. 1. off. Eccl.

ISIDORVS: Primum ieiunium Quadragesimæ est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysis & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, monstrans Euangelium nõ dissentire à lege & Prophetis. In persona quippe Moysis lex; in persona Eliæ Propheta accipiuntur; inter quos in monte CHRISTVS gloriosus apparuit, ut euidentius emereret, quod de illo dicit Apostolus: Testimonium habens ex lege & Prophetis.

Lib. 2. cap. 18. Instit. cle.

RABANVS: Statio est obseruatio statutorum dierum vel temporum: Dierum ut quartæ & sextæ feriæ ieiunium: Temporum ut obser-

obseruatio Quadragesimę, quę in vniuerso orbe institutione Apostolica seruatur, circa confinia Dominicę passionis. En omnes hi patres ex instituto agunt de Quadragesima, eiusdemque vsu, institutione, antiquitate, sanctitate, generali obligatione &c. Agunt eadem de re quoque Concil. Nicenum, Constantinopolitanum, Martinianum, Agathense, Cæsaraugustanum, Matisconense, Toletanum quartum, Toletanum octauum, Laodicenum, & alia præterea non pauca, quorum decreta, vbi de ieiuniorum vtilitate & obligatione ex proposito differemus, quatenus necessarium vel opportunum videbitur, in medium adferemus.

CAETERVM quid Apostolos mouerit, vt ieiunium hoc instituerent, id peculiari explicatione nõ indiget; siquidem ex iis, quę hætenus exposita sunt, suõq; adhuc loco exponetur, satis clarè id patet: Vno verbo dici potest, hoc ipsum illos mouisse, quod illos mouit vt alias leges & sanctiones ederent; nempe publicam vtilitatem certamque membrorum Ecclesię necessitatem. Nam vt paulò post planum fiet, ieiunium est res saluberrima, vitęque spiritali ita necessaria, vt absque ea diu salua consistere vix queat. Quòd si vnicuique liberum relictum foret ieiunare, quando vellet, & quantum vellet, temporis lapsu vel nulli vel certè paucissimi in sancto illo salutarique opere serid se exercuissent. In confesso enim est, spontanea ieiunia vsque adedò rara hæc tempestate esse, vt pauci admodum comperiantur, qui ea accuratè seruent, quę seuerissimis legibus olim indicta sunt. Quid ergo futurum erat, si nulla omnino fuissent præcepta?

CVR autem 40. & non plurium vel pauciorum dierum ieiunium instituerunt, explicatũ est iam antè: Adde nihilominus, quòd carnis impetus magis mitesceret, pleniorque purgatio & satisfactio obueneret, opus fuisse plurium dierum abstinencia. Neque enim vt insitam illam carnis concupiscentiam vtcunque edomes, vitiososque habitus expugnes, aut DEO pro peccatis satisfacias, adeoq; ad dignam sacramenti Eucharistię susceptionem, (adhanc enim ieiunium Quadragesimale præcipuè ordinatur) idoneè te prepares, sat est, si semel aut iterum abstineas; sed opus est diuturna quadam corporis exercitatione, vt, quod vno aut altero ieiunio obtentum non fuerat, id obtineatur tertio, aut quarto.

Quadragesima est institutio Apostolica.

Ieiunium res saluberrima.

Spontanea ieiunia mirè infrequentia.

Ieiunium Quadragesimale ad digna sacramenti Eucharistię susceptione ordinatur.

Humane nature
imbecillitas non
fert perpetuum
ieiunium.

NEQVE hinc tamen sequitur, perpetuò ieiunandum esse: si-
quidem humanæ naturæ imbecillitas perpetuū ieiunium vel non
fert, vel ægrè admodum fert. Adhæc in omni re, maximè verò in
spiritualibus exercitiis cauendum est, ne quod tædium obrepas; at
perpetua eiusdem semper operis continuatio fastidium & nau-
seam generare, deuotionisque aciem retundere solet. Denique
licet caro, ne temerè contra spiritum insurgat, continuò com-
primi debeat; non est tamen necessarium, vt per continuatum ie-
iunium istuc fiat: Sunt enim alia multa, per quæ idem obtineri
queat, etsi non æquè commodè, vt ostensum est.

Causa, cur Qua-
dragesima inen-
te vere celebre-
tur, plures.

Ex prædictis causa quoque peti potest, cur Quadragesimæ
ieiunium, ineunte vere potius, quàm vllò alio anni tempore cele-
brari voluerint. Constat enim, peccatum, quod nos perdidit, to-
tòque vitæ curriculo miserabiliter affligit, verno tempore consti-
tum fuisse; eodem quoque tempore CHRISTVS Redemptor
noster cùm pro hoc ipso, tum pro cæteris omnibus mortem per-
tulit. Constat nihilofeciùs, propter crescentem calorem, gliscen-
temque humoris copiam, carnis libidinem, quam ieiunio oppu-
gnamus, circa id tempus maiorem in modum intendi. Constat
denique, resurrectionis Dominicæ festum, quod ob Eucharistiæ
sumptionem, peculiarem præparationem exigit, in vernam tem-
peratam perpetuò cadere. Quæ causa tanti momèti est, vt Chry-
sostomus alicubi tradiderit, Quadragesimale ieiunium ob vnã
hanc potissimùm institutum esse.

Hom de ieiun.
pri. pas.

MVLII, scribit ibi, olim accedebant ad mysteria ἀπλῶς καὶ ἀ-
ἐτυχερ, hoc est, promiscuè ac sine vlla præparatione, eo præsertim
tempore, quo CHRISTVS tradidit seipsum. Quare cùm patres
(Apostolos designat) intelligerent, secumq; reputarent incom-
modum & detrimentum ex negligenti illo accessu, congregati,
ἐτύπωσαν, sanxerunt, vel decreuerunt 40. dies ieiunij, præcatio-
num, auditionis verbi DEI, ac conuentus ad Ecclesiam, vt his die-
bus purgati omnes diligenter per preces, per eleemosynas, per
ieiunium, per vigiliis nocturnas, per lachrymas & compansionem
& per cætera alia, sic pro viribus nostris cum pura conscientia ac-
cedamus. Hæc Chrysostomus de præparatione ad mysteriorum
susceptionem per ieiunia aliâque pietatis officia ex Apostolica
sanctione.

Preparatio ad di-
gnâ Eucharistiæ
sumptionem plu-
ra requirit quâ
ieiunium.

SIVE ergo in ieiunio Quadragesimali dierum numerum spectes; siue tempus vel modum, quo illud celebrari solet, cōsideres; siue aliam quamcunque eiusdem circumstantiam examines, nihil prorsus in eo comperies, quod certam iustamq; causam non habeat, quodque iurē reprehendi queat. Porro autem de ieiunij huius utilitate & obligatione, cæterisque similibus nihil hīc ex instituto tractandum existimaui, sicut neque de reliquorum ieiuniorum vinculo quoque; pertinent hæc enim ad locum, vbi de obligatorum ieiuniorum vi & ratione ex proposito disputabitur. Nunc quæ de quatuor temporum & vigiliarum ieiunio explananda adhuc restant, pari breuitate expedianatur.

Nihil circa quadragesimale ieiunium obseruatur, quod iustā causam non habeat.

Quatuor temporum, & quarundam præterea vigiliarum ieiunium heri non esse natum, sed unā cum Ecclesia inchoatum.

CAPVT DECIMVM.

DE quatuor temporum ieiunio, primaq; eiusdem origine non idem omnium est iudicium: Quidam perinde ac Quadragesimæ ieiunium ab Apostolis profectum autumant: Alij post Apostolorum cōfirmationem ab Ecclesiæ proceribus institutum prædicant: Nonnulli Apostolorum ætatem antecessisse affirmant.

De quatuor temporum ieiunio, eiusdemque origine non idem omnium iudicium.

VNUM hīc certum est, nempe aliquam illius vmbra in veteri Testamento extitisse: Neque enim doctissimi sanctissimiq; viri nostrum hoc ad illud referrent, quod Iudæi mense quarto, quinto, septimo, & decimo celebrabant, si nullam prorsus cum illo communionem haberet: At plures ex illis eō referunt. Quod ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumq; nostrorū ieiunium septimi mēsis assumimus, scribit Leo Magnus, non legalibus vos oneribus subiicimus; sed utilitatē continentia, quæ CHRISTI Euangelio seruit, amplectimur. Eadem ad verbum penè ser. quarto, de ieiunio sept. mensis repetit.

Ieiunij quatuor temporum vmbra in vet. Test. antecessit.

Serm. 7. de ieiun. 7 mensis.

QUIN Isidorus Hispalensium Antistes, hoc ipso cum Leone facit, quod ieiuniorum tempora secundum scripturas sacras quatuor esse definit, in quibus per abstinentiam & lamentum poenitentia, Domino supplicandum sit. Constat namque Scripturas

Lib. 1. ca. 36. & 37. cap. off.

Zachar. 8.

de eo ieiuniorum genere, quod nos quatuor anni temporibus celebramus nihil prorsus statuere, sed de eo tantum verba facere, quod Iudæi quarto, quinto, septimo, & decimo mense solennitatu peragebant.

Plurimi intercedit inter quatuor tempora ieiunia, quæ olim celebrabant Iudæi, & quæ modo Christiani.

At verò ut nostrum hoc ieiunium maximè ab illo fluxerit, non est tamen eadem vtriusque ratio. Nam neque ieiunia hæc iisdem anni temporibus; neque eodem dierum numero; neque eodem ritu aut modo; neque iisdem quoque de causis celebrantur. Neque enim nos mense Iulio, Augusto, Octobri & Ianuario ieiunamus; sed quatuor anni temporibus ex æquo penè diuisis; Et si non iisdem semper mensibus; neque septem diebus ieiunamus, sed tribus tantum; neque de vespera ad vesperam ieiunamus, sed vsque ad nonam vel meridiem solum; neque propter contractas legis tabulas, aut propter ruptos ab hoste sanctæ ciuitatis muros, aut propter obortam ex exploratorum narratione in populo seditionem, diuturnamque in deserto peregrinationem, aut propter euersum profanatumque à Nabuchodonosore templum, aut propter dissipatas vnà cum duce suo Golodia tribus Iudæ reliquias, aut ob alias quascumque eiusmodi causas acceptasue clades ieiunamus; sed propter solam pietatem: Nempe quò debita, quæ negligentia nostra confluimus, exoluamus, Deoque operum nostrorum primitias consecremus, ac CHRISTI tandem cruci eiusdemque perpersioni hac qualicumque corporis afflictione nos conformemus.

Solennibus ordinationibus iam inde ab Apostolorum ætate præmissa ieiunia.

SED & certum est quoque, sacras solennesque ordinationes ante mille quingentos annos circa hæc tempora fieri consueuisse; neque vllum citra statum ieiunium ordinaria lege sacerdotio initiatum esse; nemo enim, qui Apostolorum acta vel obiter tantum inspexit, nescit Paulum & Barnabam præmissa ieiunio in sacerdotum numerum cooptatos fuisse. Scriptum est enim: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστεύοντων, hoc est, ministrantibus, vel sacrificantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mibi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos. Ad hæc, ut ex capite proximè consequente manifestum est, Paulus & Barnabas sacris iam initiati, ita per singulas ciuitates Episcopus & Sacerdotes ordinant, ut tamen ieiunia non omittant. Denique cum idem Apostolus ad Titum scribens, eundem hortatur, ut per ciuita-

Astor. 13.

ciuitates & loca presbyteros & Episcopos constituat, vtiq; eo ritu & modo id eum facere voluit, quo ipse initiatus fuerat, vtiq; in tali re consueuerat: ipse autem absque ieiunio ordinatus non fuerat, neq; citra ieiunium & orationem sacros ordines conferre solitus erat.

FACIT huc quoq; illud Leonis Magni: His, qui consecrandi sunt, ieiunis & ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Nam præter auctoritatem cõsuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiã sacra doctrina manifestat, quòd cū Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus; vt intelligamus, quãta & dantium & accipientium deuotione curandũ sit, ne tantę benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Hęc Leo, quæ satis clarè ostendunt, ieiunia, quæ statis solēnibusq; ordinationibus de more præmittuntur, ex Apostolica doctrina & traditione descendisse, eorundemq; etate celebrem vsũ obtinuisse. Tum illud æquè, quod in B. Lini Pont. Max. actis habetur. Legitur hęc enim mensis Decembris ieiunio (quod vnum est ex illis quatuor, quibus ordines publicè administrantur) bis illum ordinationes fecisse, duoq; de viginti presbyteros, & quindecim Episcopos duabus illis ordinationibus consecrasse. Similia in aliorum veterum Pontificum rebus gestis passim occurrūt. Dubium proinde nullum est, brumale ieiunium ab Apostolis ortum traxisse.

ET quia par omnium est ratio, idem cum Leone Magno de cæteris tribus statuere licebit. Certè de ieiunio, quod hoc tempore ppetuò cadit in Quadragesimã, & de eo rursum, quod post pentecostes festum celebratur, res est certa, quippe cū in Apostolicis constitutionibus expressa illius fiat mentio. Verba constitutionis ita habent: Post festum pentecostes celebrate vnã hebdomadam, post quam ieiunate alteram hebdomadam; æquum est enim, & lætari de DEI dono, & ieiunare post hilaritatem. Etenim Moyses & Elias ieiunarunt quadraginta dies, & Daniel hebdomadas dierum tres panem cupiditatum non comedit, nec caro, nec vinum in os eius intrauit. Hęc Clemens vel Apostoli ipsi. Neque enim is suam de ieiunio, quod post solennes pentecostes ferias peragitur, sanctionem refert, sed Apostolorum.

N E C

Epist. ad Dioc. Alex.

Actor, 13.

Sacra ordinatio Sacramentum.

Brumale ieiunium ab Apostolis ortum.

Ieiunium, quod post festum pentecostes celebratur, ab Apostolis institutum. Lib. 5. cap. vlt.

Exodi 24. 34.

3. Reg. 19.

Daniel. 10.

Nō vno semper
tempore ieiunii
tertio quoque
mense recurrēs
celebratum est.

Nec quicquam præiudicat causæ, quòd ieiunium illud non intra pentecostes hebdomadam, vt nostrum solet, Apostolorum tempore fuerit celebratum, sed hebdomada, quæ pentecostes solennitatem proximè conseqebatur. Nam etsi quatuor temporum ieiunium iam inde ab Apostolorum etate in Ecclesia Dei fuerit vstitutum; attamen vt ex iis cognoscere licebit, quæ exempli maiorisq̃ue lucis causa subiicere hic placet, non vno semper modo & tempore vbique celebratum fuit.

D. 76. Consi-
tuimus.

SYNODVS Moguntiacæ, Imperante Carolo Magno celebra-
ta: Constituimus, vt tempora anni ab omnibus cum ieiunio ob-
seruentur, id est, mense Martio hebdomada prima. Et feria quar-
ta & sexta & sabbato veniant omnes ad Ecclesiã hora nona cum
Litaniis ad missarum solennia. Similiter in mense Iunio hebdo-
mada secunda, feria quarta & sexta & sabbato ieiunetur vsque ad
horam nonam, & à carne ab omnibus abstinetur. Similiter in
mense Septembrio hebdomada tertia, & in mense Decembrio
hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Domini, sicut
est in Romana Ecclesia traditum.

D. 76. Can. de
ieiunio.

Ab hac temporum ratione non nihil degenerat Concilium
Salegunstanum tempore Henrici secundi in eadem Moguntiacæ
diœcesi celebratum. Decretum illius ita sonat: De incerto ieiunio
quatuor temporum hanc certitudinem statuimus; vt si Cal.
Martij, in quarta feria siue antea euenerint, eadem hebdomada
ieiunium celebretur. Si autem Calend. Martij in quintam aut sex-
tam feriam, aut sabbatum distendantur, in sequentem hebdo-
madam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Cal. Iunij in
quartam feriam aut ante inciderint, in sequenti hebdomada ieiunium
celebretur. Et si in quintã feriam, aut sextam, aut sabbatum
contigerint, ieiunium in tertiam hebdomadam referuetur.
Et hoc sciendum est, quòd si quando ieiunium mensis Iunij in vi-
gilia pentecostes, secundum prædictam regulam euenerit, nō ibi
celebrandum erit, sed in hebdomada solenni pentecostes. Eo-
dem modo de Septembris ieiunio constitutum est, vt si Calen. in
quarta feria euenerint, aut antea, ieiunium in tertia hebdomada
celebretur, & si in quinta, aut sexta feria, aut sabbato contige-
rint, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud
obseruandum erit, vt proximo sabbato ante vigiliam natalis Do-
mini

mini celebretur ieiunium; quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.

CVM neutro horum satis conuenit quoddam Gerondensis Synodi decretum, quod etiam de his ipsis temporibus cauet, et si nō de omnibus, sed de æstiuo aut autumnali tātūm. De æstiuo hæc decernit: Expleta solennitate pentecostes, in sequenti septimana à quinta feria in sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur. De autumnali verò hæc: Secunda Litania faciēda est Calend. Can. 2. Nouembris, ea tamen conditione seruata, vt si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada secundū prioris abstinentiæ obseruantiam, à quinta feria incipiat, & in sabbati vespere missa facta finiatur, quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum.

NON defuere, qui æstiuum ante pentecosten celebrarent. Li. 1. c. 27. offi. Hoc ieiunium, scribit Isidorus, à plerisque ex auctoritate Euangelij post Ascensionem Domini completur, testimonium illud Domini historialiter accipientibus, vbi dicit: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Luc. 5. Mar. 2. Dicunt etiam post resurrectionem Domini 40. illis diebus, quibus cum discipulis conuersatus est, non oportere ieiunare, nec lugere, quia in lætitia sumus. Postea verò cum illud tempus expletur, quo CHRISTVS auolans ad cælos præsentia corporali recessit, tunc indicendum est ieiunium, vt per cordis humilitatem & carnis abstinentiam mereamur Spiritum sanctum suscipere. Hæc illi referente Isidoro, & post illum Alexandro Alensi. Parui itaq; roboris est, quod à temporum dissimilitudine contra Apostolicam cōstitutionem à quibusdam adfertur. 4. p. q. 100. m. 4.

CAETERVM tantæ huic disparitati, quæ inde potissimum nata videtur, quod alij alio modo ieiuniorum, de quibus hic sermo est, ortum & scopum acciperent, nec mentis aciem in id, quod Apostoli tradiderant, conicerent, finem tandem imposuit D. 76. Statuimus. Virbanus Pont. Max. Eius sanctio ita sonat: Statuimus, vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur, primum in initio Quadragesimæ, secundum in hebdomada pentecostes, tertium verò in Septembri, quartum in Decembri more solito fiat. Hæc Virbanus; cum quibus, quæ apud Leonem Magnum eiusdem Apostolicæ

stolicæ

stolicæ sedis Episcopum ea de re leguntur, per omnia consentiunt. scribit is autem in hunc modum:

D. 76. Huius.

Huius obseruantia utilitas in Ecclesiasticis præcipue constituta est ieiuniis, quæ ex doctrina Spiritus sancti ita per totius anni curriculum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus adscripta sit temporibus: Siquidem ieiunium vernum in Quadragesima, æstiuum in pentecoste, autumnale in mense septimo, hibernum autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes, diuinis nihil vacuum esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa seruire, dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Euangelia incessabili tuba discimus, quod & prædicamus & agimus.

D. 76. Ieiunium.

Quo sensu Calixtus Pontifex ante suam aetate tria tantum ieiunia extitisse asserat.

Nec pugnat cum his pontificibus Calixtus, cum ante se tria tantum ieiunia tertio quoquo mense recurrere obtinuisse commemorat. Decretum illius ita habet: Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrari didicistis, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus; ut sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solenne agamus ieiunium per quatuor anni tempora. Nam quod de tribus ieiuniis intra anni spacium celebrari solitis hic asserit, illud eo sensu accipiendum non est, quasi quartum aliquando defuerit, nunquam enim absolute defuit; sed quia vnum ex quatuor quadragesimali ieiunio permixtum erat, sicut eidem etiam nunc permixtum est; voluit is illud inde segregare, sed sanctio illius non obtinuit, vel certe ubique non obtinuit. Nam apud eos, qui vernum ieiunium à Cal. Mart. aut à die Cal. Mart. viciniore auspicabatur, hætenus obtinere potuit, quatenus Calendæ illæ commune Quadragesimæ ieiunium interdum anteuertebant. A Martiis autem Cal. veteres Germanos verum ieiunium auspicari consueuisse ex Conc. Moguntino & Sa- legunstano ostensum est iam antè. Sed & Anglicanos quoque inde exordium fecisse ex cano. quinto Concil. Oxoniensis coniectare licet; ait enim: In Martio prima hebdomada ieiunandum est feria quarta, sexta, & sabbato: In Iunio in secunda, quod dupliciter obseruatur à pluribus: In prima hebdomada post Litanias, hoc est, hebdomada pentecosten proximè antecedente; aut in hebdomada pentecosten: In Septembri per tres dies: In proxima septimana integra ante natalem Domini.

QVAE

QVAE haecenus in medium allata sunt, ea quatuor temporu ieiunium antiquissimum esse ostendunt, siue illud ex antiqua lege dimanarit, vt putant multi; siue ex Apostolica traditione proximè ortum sit, vt defendunt alij; siue ex vtroq; simul, quod videtur satis verisimile; siue vndecunq; aliunde: ostendunt nihil fecius, non in vno aliquo orbis angulo, vt solèt quædam vigiliarum ieiunia; sed passim per Christianum orbem religiosè semper celebratum & obseruatum esse. Ostendunt tandem, in obseruationis eiusdem ritu & tempore, ita quibusdam atatibus & locis variatum esse, vt nullo tamen loco aut tempore à quatuor primariis anni solisue mutationibus multum vnquam recessum fuerit. Etenim vbique locorum primum semper fuit celebratum circa æquinoctium vernum, proximum circa solstitium æstiuum, tertium circa æquinoctium autumnale, quartum & postremum circa solstitium hibernum.

QVAERTS, cur ea ieiunia circa præcipuas solis versiones obseruentur, & hucusq; obseruata sint semper, & non mense Iulio, Augusto, Octobri, & Ianuario, quibus Iudæi suum quadripartitum ieiunium peragere soliti erant? Cur Iudæorum ritum hîc non æmulemur, expositum est iam antè; & qui latiore eius rei explicationem quærit, is legat Hieronymi commentarium ad cap. octauum Zachariæ, vel Gratianum d. 76. ca. Ieiunium. Cur porro CHRISTI Sacramentis initiati, ea ieiunia non quouis anni tempore obseruent, sed circa præcipuas solis conuersiones, plures cum mysticæ tum naturales quoque rationes assignari solent, nobis vnâ aut alteram assignasse sat fuerit; harum autem prima & præcipua est eiusmodi:

CERTVM est, vitæ nostræ momenta per dies & annos decurrere: Solaris autem annus constituitur ex quatuor partibus, ex quo ferè diuisis, circa quas ob varium solis motum & positum in his inferioribus, (inter quæ etiam corpora nostra continentur) variæ plerunque mutationes contingere solent. Igitur circa singularum maiorum istarum mutationum exordia, triduanum DEO Opt. Max. ieiunium offerimus, vel in gratiarum actione, quod præterito trimestri spacio nos nostraque pro sua clementia prosperè gubernare non est dedignatus; vel certè in propitiatorium sacrificium, quò nimirum ineunte nouo iam anni tempore,

c 2 nostras

Ieiunium quatuor temporum antiquissimum & communissimum.

Ieiunia quatuor temporum vbique semper celebrata circa præcipuas solis versiones.

Cur circa æquinoctia & solstitia ieiunetur.

nostras actiones nostrasque studia clementer promoueat, prosperè dirigat, ac feliciter absoluat.

Dies ieiuniorum
quatuor temporum
exprimit
12. Iudæorum
neomenias, tot
idemque minores
Solis mutationes.

Cur ieiunium
quatuor temporum
porrigatur
in triduum.

D. 76. Igitur.

SORTITVR autem quodlibet ieiunium tres dies, qui ex quo respondent tribus cuiusque partis mensibus, adeoque toto anno habemus duodecim dies ieiunio consecratos, qui utcumque expriment duodecim Iudæorum neomenias: Siquidem illi singulis Solis & Lunæ cõiunctionibus in gratiarum actionem, futurorumque malorum cautionem neomeniarum festum celebrabant. Respondent hi dies quoque duodecim minoribus Solis mutationibus. Quandoquidem singulis mensibus Sol signum vnum percurrit, aliudque communiter efficere consuevit, dum versatur sub vno, quam dum sub alio. Producimus autem vnumquodque ex his quatuor ad triduum: Siquidem ita omnes gubernamur ab vno, ut tamen tres sint, quibus laudem & honorè, & gratiarum actionem debemus. Quòd autem feria 4. 6. & sabbato ieiunamus potius quam 2. 3. & 5. in causa est CHRISTI Redemptoris nostri passio, cui vel in partem nos conformare studemus. Constat namque, CHRISTVM Dominum die Mercurij fuisse venditum, die Veneris crucifixum, die Sabbati mortuum requieuisse in sepulchro. Et hæc est prima & præcipua ratio, cur quatuor temporum ieiunia illis diebus & temporibus obseruamus.

OFFERIMVS nihilominus quatuor illa stata & tridua, intra anni curriculum, ieiunia DEO conditori nostro, in qualemcumque peccatorum, quæ qualibet anni parte admittimus, expiationem & satisfactionem. Post sanctæ lætitiæ dies, scribit Leo, quos in honorem Domini à morte resurgentis, ac deinde ascendentis exegimus, postque acceptum Spiritus sancti donum, salubriter & necessariò consuetudo ordinata est ieiunij, ut si quid fortè inter ipsa festiuitatis gaudia negligens libertas, & licentia immoderata præsumpserit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Hæc Leo de ieiunio æstiuo. De reliquis par est ratio; neque enim solùm peccamus in vere, vel æstate, verùm etiam in autumno & hyeme. Tum rursus, ut planum hinc fiat, toto anni tempore, piè, sobriè, iusteque viuendum esse: Siquidem partium anni principia ostendunt, cuiusmodi esse debeant eiusdem fines & mediâ. Hanc causam insinuat idem Leo, inter cætera de his ieiuniis ita scribens:

HIVS

Huius obseruantia vtilitas in Ecclesiasticis præcipuè constituta est ieiuniis, quæ ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni curriculum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Tum denique vt quemadmodum DEO Opt. Max. ex dierum nostrorum numero per ieiunium Quadragesimæ offerimus decimas; ita ex eodem illo numero per ieiunia quatuor temporum eidem offeramus primitias. Alij alias huius quaternarij ieiunij causas assignant, sed iam assignatæ magis ad rem faciunt. Hæc igitur de ieiunij quatuor temporum causis, eiusdemq; origine & institutione breuiter dicta sint: Superest, vt pauca quoque de vigiliarum seu præferiarum ieiunio in medium adferamus.

D. 76. Huius

Per ieiunia quatuor temporum offerimus DEO primitias, sicut per Quadragesimam decimas.

DE solenniorum quorundam festorum vigiliis, quas inter cetera Ecclesiæ ieiunia supra commemorauimus, non est quod prolixè hic agamus. Sunt enim ieiunia hæc Christiano populo pleraque omnia perspecta; nec alio ferè à cæteris distincta, quam quod hæc in vnum tantum diem indicantur; illa in plures. Significatur autem hæc præferiarum ieiunia vigiliarum nomine, non quod vigilia, aut preces, vel eleemosynæ, vel aliud quippiam eiusmodi de intrinseca horum, vel aliorum quorumlibet ratione sit, (Nam ad ieiunij Ecclesiastici substantiam tria illa tantum, quorum supra meminimus, exiguntur) sed quod Apostolorum ætate & longo etiam postea tempore vigilia, & preces & eleemosynæ ieiuniis adiungi fuerint solita.

Cur præferiarum ieiunia appellentur vigilia.

In omnibus, scribit Paulus, exhibeamus nosmetipsos sicut DEI ministri, in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis. Et alio rursum loco: Igitur non dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus & sobrii simus. Et ad Timotheum: Tu, ait, vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Et Apostolorum coryphæus: Sobrii estote & vigilate; quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem deuoret. Sunt sanè hæc generalia; attamen à re præsentis non prorsus aliena.

2. Cor. 6.

1. Thess. 6.

2. Timoth. 4.

1. Petri 5.

PROPIVS ad hunc locum spectant, quæ libro quinto constitutionum Apostolicarum de hoc ritu leguntur; quamuis ea ipsa quoque non de quauis, sed de vna duntaxat paschæ solennitate concionentur. A vespera quinti diei, habet constitutio, vsque ad

Cap. 20;

gallicantum vigilantes, atque in Ecclesia conuenientes, vigilate orantes & rogantes DEVM, legentes in vestra pernoctatione legem, Prophetas, Psalmos, vsque ad gallicantum. Nullam hic Apostoli ieiunij faciunt mentionem, nec id opus erat, iam antè enim cauerant, quomodo tota Pasche hebdomada, hoc est vltima Quadragesimæ septimana ieiunio transigenda foret.

HUNC excubandi orandique ritum in aliis itidem ieiuniis seruari solitum, non vno loco indicat Leo Magnus; qui mille prope modum supra ducetos annos ætatem nostram antecessit. Sermo. 2. de Pentec. inter cætera ita scribit: Quarta feria & sexta ieiunemus, Sabbato autem apud D. Petrum Apostolum vigilias celebremus, patrocinate eodem spiritu orationibus nostris, vt in omnibus misericordiam DEI obtinere mereamur. Et alio rursum sermone: Hunc venerabilem diem sequitur saluberrimæ obseruantie consuetudo, quam vtilissimam semper omnes sancti experti sunt, & ad quam sedulo celebrandam pastorali vos sollicitudine exhortamur; vt si quid macularum proximis diebus, negligentia incauta contraxerit, id & ieiunij censura castiget, & deuotio pietatis mundet. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autem in idipsum consueta deuotione vigilias celebremus. Hæc Leo; à quibus non multum dissident, quæ Eusebius Cæsariensis de Essæorum cæterorumque, qui sua ætate pietatem colebant, ieiuniis, nocturnisque vigiliis commemorat.

Ser. 1. de Pentec.

Lib. 2. cap. 16.
Hist. ecc.

Hebdomada sacra religiosissime à veteribus, celebrata & obseruata.

QVID, ait, commemorare attinet frequentes in vnum congressus, virorum in vno, mulierum autem in altero loco congregatarum exercitationes & seueram disciplinæ rationem, quæ de more adhuc obseruata est à nobis? Quanquam eam potissimum in festo salutis Domini passionis non ieiuniis solum & vigiliis, sed attenda quoque sacrarum scripturarum auditione excolere & celebrare consueuimus. Sed & satis quoque cum iisdem consentiunt, quæ Oxoniensis Synodus ea de re tradit, nisi forsitan vigiliarum nomen non pro nocturna statione, vel peruigilatione, sed pro ieiunio festi solennitatem proximè antecedente vsurpet: quo sensu hac tempestate plerumque vsurpari assolet. Decretum Synodi ita habet:

Can. 4.

VOLVMVS, vt vigilia Natiuitatis, Paschæ, Pentecostes, litania maior, tres dies Rogationum, vigilia Ioannis Baptistæ, Aposto-

stolorum Petri & Pauli, S. Laurentij, Assumptionis B. MARIÆ, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Apostolorum Simonis & Iudæ, omnium Sanctorum, S. Andree, S. Thomæ, in obsequio & laude diuina deuotissimè celebrentur. Omnes hæ vigiliæ secundùm potiorè sui partem, vbi pietas & verus DEI timor stationem suam constanter adhuc tuentur, etiam nunc obtinent. Verùm nocturni ad Diuorum Basilicas conuentus, propter flagitia, quæ eiusmodi vigiliarum occasione frequenter committebantur, magna iam ex parte in defuetudinem abierunt.

CAETERVM quæ vigiliæ, hoc est, præferiarum ieiunationes sint liberæ, quæ rursus obligatoriæ, id ob varios prouinciarum & diocesum ritus & consuetudines regula, quæ nusquam fallat, nulla definiti potest. Quod enim hîc religiosè seruatur & colitur, id alio loco remotè posito, sæpè numero ignoratur. Quàm multos Diuos colit Græcia, quos planè ignorat Ecclesia Romana, & vice versa? Quamobrem qui eiusmodi in rebus non vult errare, neque alios, quibuscum versatur, offendere, Ambrosiani illius memor, (cùm, inquit ille, Romæ sum, die sabbati ieiuno, cùm Mediolani sum, non ieiuno. Et tu quoque, ad quamcunque Ecclesiam veneris, eius morem seruato, si pati scandalum non vis, aut facere) loci vel prouinciæ, in qua versatur, consuetudini sese accommodet: Hoc tamen non de omnibus promiscuè accipiendum est; sed de indigenis, vel diutius in vno aliquo loco hærentibus. Nam vt iter facientes, vel obiter transeuntes, loci, per quem fortè transeunt, priuilegiis & immunitatibus nõ gaudent; ita neque eiusdem quoque legibus & cæremoniis tenentur. Secludimus hinc semper scandala & alia externa, quæ aliud interdum postulant.

VERVMENIMVERO si ieiuniorum numerum ex communi iure, vel consuetudine definire velimus, vt velle omnino debemus, (agimus hîc enim non de priuatis ieiuniis, sed de communibus) paucis dici potest, præter Quadragesimam & quatuor anni tempora, de quibus iam antè disputatum est, omnium Apostolorum præferias, (Philippi duntaxat, Iacobi, & Ioannis Evangelistæ exceptis) natiuitatis item Domini, & Pentecostes, & Ioannis Baptistæ, & assumptæ ad cælos Virginis, & Laurètij Martyris, & omnium deniq; Sanctorum, solenni ieiunio cõsecratas esse.

Quam-

Non eadem vbi.
que ratio vigilia-
rum & festoru.

In ieiuniis, festis,
aliisq; similibus,
quilibet sese ac-
commodare de-
bet cõsuetudini
loci, in quo ver-
satur.

Quamuis ne horum quidem omnium meminerint antiqui scriptores, aut Romanæ Ecclesiæ Pontifices; at meminerunt tamen ferè omnium.

Serm. 25, ad fr.
in ere.

AVGUSTINVS; si is tamen sermonum ad fratres in eremo germanus auctor extitit: Scitote, fratres, quòd antiquitus patres nostri fideles ieiunare consueverunt in vigiliis magnarum solennitatum vsque ad noctem, quod laudandum erat & bonum. Aliquod tamen est ieiunium deuotionis, vt ieiunare vigiliam sanctorum Cypriani compatriotæ nostri, & Geruasij & Protasij & similia. Aliud est ieiunium institutionis, vt assumptionis B. MARIE, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, S. Apostolorum Petri & Pauli, Simonis & Iudæ, Matthæi & Andreæ, & Iacobi maioris. Istorum vigiliis ieiunare semper debemus; vt sicut ieiunando cum iis patimur, ita & in futurum cum eis pariter gloriemur. Hęc Augustinus de præcipuis præferiarum ieiuniis sua ætate receptis, etsi fortè non de omnibus.

Aliud deuotionis, aliud institutionis ieiunium.

De ieiunij obseruatione consiliū.

SED neque Innocentius quoque, vbi ea de re agit, vigiliarum numerum ab Augustino assignatum multum excedit; Siquidem ad dubium de quarundam vigiliarum ratione à Bracharensis Ecclesiæ Episcopo propositum, ita rescribit: Consultationi tuæ respondemus, quòd omnium Apostolorum vigilię sunt in obseruatione ieiunij celebrandę, præter vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Euangelistæ, quoniam ipsorum solennitas intra solennitatem paschalem, istius autem intra natalem Domini celebratur. Sanctorum quoque vigilię, quorum festiuitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sabbato sunt ieiunandę. De festiuitate verò B. Bartholomæi Apostoli, de cuius celebratione dubietas oritur apud quosdam, respondemus, quòd in hoc tuę consuetudinem regionis obserues. Hęc de vigiliarum numero Innocentius, sed diminutè; nisi generali quadam ratione, quas non exprimit, per hoc complexum dicamus, quòd vigilias Diuorum, quorum festa cadunt in diem Lunę, die sabbato celebrandas definit.

Vigilie festorum
secundę ferię
precedenti sabbato
sunt celebrandę.

VERVM Concilium Oxoniense, Salegunstanum, & alia præterea cum Diocesana tum prouincialia non pauca, nullam profus ex iis, quas paulò antè assignauimus, omittunt. Et vt nihil quicquam in vilo omnino Concilio ea de re cautum extaret, adhuc
sola

sola Christiani populi cōsuetudo, ad quamlibet vigiliam firmandam fat esset. Nam vt D. Augustinus rectè monet, in iis rebus, in quibus certi nihil statuit scriptura diuina, mos populi Dei, & instituta maiorū pro lege tenenda sunt. Quamuis ergo ius commune de vigilia Pentecostes, Ioannis Baptistæ, B. Laurentij, Assumptionis virginis matris, & omnium Sanctorum, nihil difertè decreuerit; attamen quòd longo iam tempore ab vniuerso populo Christiano æquè religiosè obseruentur, ac cæteræ, de quibus expressè in iure statutum est, non minùs obligant quàm reliquæ certa lege iniunctæ. At de intrinseca ieiuniorum ratione, communique eorundè partitione satis, nunc ordinis ratio postulat, vt de illorum vi, vtilitate & vinculo nonnulla quoque in medium adferamus.

Epist. ad Casulanum.

Ius cōmune pluriū vigiliarum nō meminit, quæ tamen ob populi cōsuetudinem æquè obligat, ac cæteræ.

Ieiunia cum in boni procuratione, tum in mali rursus depulsione insigni vi pollere, fructusq; si pio castoque animo suscipiantur & perficiantur, admirabiles de se fundere.

CAPVT VNDECIMVM.

DISPVTATVM est hætenus de internis externisque Christiani ieiunij partibus, proximum est, vt quædam quoque de propriis eiusdem viribus & fructibus exponamus. Nam cum ieiunium actus sit abstinentiæ, vel peculiaris quædam eiusdem species, non potest suas quoque vires & vsus non fortiri. Nouatores duo hæc inter se confundunt, sed id absq; omni ratione & auctoritate; imò verò contra omnem rationem & auctoritatem. Constat enim, alium ieiuniorum legem esse & finem, alium abstinentiæ. Nam, vt alibi explicatum est, abstinentiæ lex obligat ad vnum omnes, & semper, & vbiq; (nunquam enim plus comedere aut bibere licet, quàm pro tuenda valetudine manducandum vel bibendum esse recta ratio dicitur) ieiunium autem nec omnes obligat, nec semper obligat, neque vbiq; obligat, sed loco & tempore tantùm. Lex rursus & regula abstinentiæ est ratio humana; hæc enim est, quæ pro loco, temporis, personæ, reliquorumque, quæ rem circumstant, qualitate & conditione dicitur, quid, quomodo, quoties, quantum &c. comedere conueniat. Lex autem & regula ieiuniorum est

Nouatores citra rationem & auctoritatem ieiunij & abstinentiæ confundunt.

Lex abstinentiæ obligat omnes, vbiq; & semper, ieiunium autem nec omnes nec semper.

Regula abstinentiæ est ratio humana; lex autem seu regula ieiuniorum est voluntas diuina per Ecclesiã patrefacta.

¶ volunt-

voluntas diuina per Ecclesiam nobis patefacta. DEVS enim est, qui per Vicarios suos docet, quomodo, quādo, quantum &c. Christianum hominem ieiunare oporteat, ut hoc vel illud bonum impetret, aut hoc vel illud malum euadat. Finis tandem & scopus abstinentiæ est corporis sanitas, bonaque eiusdem constitutio: Finis autem & scopus ieiuniorum est mentis in DEVM eleuatio, vitiorum compressio, virtutum adeptio, aliæque eiusmodi, de quibus hoc capite tractatur ex instituto.

Fines ieiunij & abstinentiæ diuersi.

Cap. 37.
In multis escis non deest infirmitas.

Cap. 37.

Cap. 4.

Ad Tit. 2. de quest. Euang.

d. 5. de conf.

Nihil

Mirabiles vires sobrietatis.

Matth. 6.

Marc. 2.

2. Cor. 11.

Cap. 13.

Psal. 34.

Cap. 2.

Sectarij nunquā verè ieiunant, & tamè semper ieiunandum clamant.

Primum ieiunium opus carnè

AD abstinentiam pertinet illud Ecclesiastici: *Noli auidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram.* Et illud eiusdem: *Qui abstinens est, adiiciet sibi vitam.* Et illud Ezechielis: *Cibus tuus, quando vesceris, erit in pondere.* Et illud Pauli: *luucnes hortare, ut sint sobrij.* Et illud Augustini: *Nō interest, quid alimentorum, vel quantum quis accipiat; dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus viuunt, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate.* Et illud Chrysostomi: *Nihil sic iocundum est, sicut cibus bene digestus, nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio.*

AD ieiunium autè illud CHRISTI: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; & pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi.* Et illud eiusdem: *Veniens dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Et illud Apostoli: *In fame, in siti, in ieiuniis multis.* Et illud Actorum: *Ministrantibus & ieiunantibus illis, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum &c.* Et illud Prophetæ regij: *Humiliaui in ieiunio animam meam.* Item: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Et illud tandem Luca: *Et hæc vidua vsq; ad ætates 84. quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruens uesce & die.* Nam hæc aliæque similia, quæ pæssim in scripturis occurrunt, ad solam moralem abstinentiam rectè transferri non posse, id nemo dubitat, nisi Apostolos post ablatum sponsum intemperanter quandoq; vixisse persuasum habeat. Missis proinde eorum nugis, qui semper ieiunandum esse vociferantur, cum ipsi tamen nunquam verè ieiunent, ad id, quod capitis huius proprium est, stylum vertamus.

PRIMUM igitur propriumque ieiuniorum opus est, carnem inordinatosq; eiusdem motus, ne vehementius contra spiritum insur-

insurgant, comprimere, peccatūq; regnū in nobis euertere. Nam etsi Baptismi Sacramentum omnem noxam expiet, CHRISTI que meritum & satisfactionem liberaliter nobis communicet, carnis tamen stimulum non tollit; neq; ea quoq; vi illam constringit, vt ad illicita, diuinæ que & rationis legi dissentanea interdum non allecet. Suppetunt sanè multa strenuis CHRISTI militibus præsidia & arma, quibus domestico huic hosti, internōque Iebusæo obistere, eiusdemq; impetum compescere valeāt, & compescere quoq; soleant; experientia tamen teste nullū ex omnibus est præsentius, nullum efficacius, quàm frequens ieiuniū: Siquidem moralis abstinentia, quam Philosophi professi sunt, quamque vnam, dum de ieiunio agitur, Sectarij admittunt, per se ad hunc tantum hostem debellandum non est satis. Imò quò quisq; temperantiùs, naturæque conuenientiùs viuit, eò efficitur vegetior & sanior, adeoq; ad generandum & quiduis aliud præstandum potentior.

QVARE fomiti membrorumue legi propriè non opponitur abstinentia Philosophica, sed parsimonia Christiana; quæ vti nam ita nota & vsitata foret, vt Christianæ vitæ est necessaria, primisque Christiani nominis hominibus domestica erat. Neque enim illi menstrua tantum & hebdomadaria, eaque triplicia ieiunia habebant, verum tot spontanea, vt tota illorum vita aliud nihil esse videretur, quàm statum quoddam ieiunium. Præticabatur per id tempus illud Hilarionis: Ego, asine, faciam, vt non calcitres; neque te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam & graui siti onerabo; traham te per æstus & frigora, vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites.

Et quia ieiunia primis Christianis multò quàm huius ætatis hominibus erant familiariora (vix enim adoriebantur arduum aliquod negotium, cui ieiunia & orationes non præmitterent) fiebat, vt multò per id tempus pauciora in populo essent vitia, multòque rariora scandala in clero, quàm sunt hac infelicissima ætate: Siquidem vbi caro commodè nutritur, molliterque tractatur, ibi carnis quoque vitia nutriuntur & propagantur. Contrà verò, vbi eadem edomatur, spirituique, vt par est, subiicitur, ibi etiam flagitia & peccata, quæ hinc, veluti ex perpetua quadam scaturigine, promanare solent, comprimuntur & extinguuntur. Quapropter licet proximus ieiuniorum effectus sit carnis morti-

f 2 ficatio,

eiusdemque motus comprimere.

Moralis abstinentia non sat est ad debellandam carnis concupiscentiam.

Primi Christiani ieiunio, & carnis mortificationi deditissimi.

Hier. in vita Hilar.

Proximus ieiuniorum effectus carnis mortificatio, principalis carnalium vitiorum eliminatio.

Serm. de ieiun.

Insignis ieiuniorum virtus in debellandis vitiis carnalibus.

Lib. contra Pſychicos.

Corpus nobis datum ad opus, non ad pondus.

Saginare carnem pugilum & porcorum proprium.

Ser. 67. de temp.

Saturitati coniuncta lascivia.

Epistol. 111. ad Bonifac.

ficatio, principalis tamen est vitiorum, quæ ex carne oriuntur, restinctio. Quod etsi nemo sanæ mentis negare queat, conuincitur enim experientia, attamen quò veritas hæc illustrior euadat, carnisq; mancipia ad sui amorem potentiùs rapiat, quid veteres ea de re literis prodiderunt, paucis hoc loco repetere placet.

CYPRIANVS: Ieiuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluntates, extinguitur ardentis Ætne incendiū, & flammiumi fornax Vulcani extincta intrinsecus, montes conterminos non adurit. Ieiunium, si discretionem regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium, si humilitate ornetur, seruos DEI, mundi efficit contemptores. His nihil dici potest grauius, nihil ad id, quod de ieiunij energia in expugnandis carnis vitiis assertum est, accomodatius.

TERTULLIANVS: Nos certò scimus, quòd qui in carne sunt, DEO placere non possunt, non in substantia, sed in cura, in affectione, in operatione, in voluntate. Macies non displicet DEO, nec datum est nobis corpus ad pondus, sed ad opus. Saginentur pugiles olympici, qui corporis curam habet, & porci, si vultis, Epicuri de grege, qui omnia cum corpore perire putant. Nobis vtinam carnis curam non facere contingeret; alia sunt Ecclesiæ robora & certamina, aduersus scilicet carnem & sanguinem, sed spiritu & virtute pugnare oportet. Disce hinc pugne necessitatem, disce aduersarium, disce arma & robora, quibus pugnandum est. Equænam sunt arma ista, si non sunt ieiunia?

AVGUSTINVS: Princeps humani generis Adam, quamdiu ieiunauit, seruans mandatum, in paradiso, fuit; vbi verò comedit, eiectus est de paradiso. Et qui in paradiso DEI virgo fuerat, eiectus de paradiso, cognouit uxorem. Semper enim saturitati coniuncta est lascivia; vicina sibi sunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Alibi idem paterita scribit: Semper caro nostra subdita sit animæ nostræ, sicut ancilla famulatur dominæ; non præbeamus vires illicitas corpori nostro, ne committat bellum crudum aduersus spiritum nostrum, non incrassari permittamus ancillam, ne superbiat in dominam.

Dome-

Domemus ieiuniis vigiliis, orationibus, imponamus frenū equo feroci; simus boni aurigæ, ne per præcipitia labamur, vt per viam rectam possimus incedere; temperemus ab escis, quæ non solum animam, verum corpus plerumque lædunt & deliciis mundi, quæ trahunt homines, vbi gutta aquæ desideratur, nec datur. Et hæc quoque ieiuniorum vim aduersus carnem carnisque vitia luculenter admodum explicant.

HIERONYMVS: Ventris ingluuies tam animæ quam corpori ministrat materiam, ideo medicinale ieiunium omnem auferat languorem, & omnem tribuat virtutem & gratiam. Quid verò virtutis contineat sacrum ieiunium, à vestro inuestigemus sponso, qui quadragenario peracto ieiunio, Diaboli vicit tentationem. Viri Niniuitæ non sileant, qui ieiuniis commune euaserunt exilium. Sed sit tale, ne dicatur à Domino: Non est hoc ieiunium quod elegi: Castigate membra, sed nolite interficere: non causet ieiunium verecundiam, vt scandalum sit cæteris. Non dolore capitis sacræ omittantur lectiones, & alia sancta exercitia. Sit ieiunium medicina; frangatur corpus, castigentur membra verberibus, multiplicentur abstinentiæ. Et si adhuc adsit concupiscentia illicita, adhibeantur grauissimæ disciplinæ, quousque erigatur Domina & seruiat serua. Quòd si iterum erigitur, iterum fatigetur, sed non vltra modum, nihil enim habere potest virtutis, quod indiscretio facit, quod improuiso docet.

BASILIVS Magnus: Quemadmodum vermes, qui in puerorum intestinis generantur, pharmacis quibusdam acerbis & amaris excutiuntur, ita peccatum in intimis secessibus habitans extinguit enecatque, simulatque; in animum superuenerit, ieiunium; ob hoc ipsum suo dignum nomine, quòd inedia purget animæ viscera. Quòd si ieiunium carnis vitia intimis infixis visceribus potest expellere, multò magis ne in animam illabatur, poterit impedire. Facilius est enim hostem, ne ciuitatem occupet, arcere, quam iam admissum expellere.

CHRYSOSTOMVS: Abstinentia à cibis propter hoc recepta est, vt vigorem carnis refrænaret, & equum moderanti faciliè parere faciat: adest ieiunium, de quo loquimur, quod vt cum fructu fiat apud DEVM, adiungendum est illi alterum ieiunium, putata à vitis: oportet enim ieiunantem ante omnia iram refrænare,

f 3 mansue-

Esca & corpus,
& animam lædunt.

Epist. ad Eusto.

Medicinale ieiunium omnem auferat languorem, & omnem tribuit virtutem.
Lucæ 4.
Ionæ 3.
Esa 58.

Membra castiganda non interficienda.

Ser. 1. de ieiunio.

Ieiunium peccatum intimis visceribus infixum expellit.

Hom. 8. in Gen.

Vt ieiunium fru-
ctuosum existat,
ieiunium à vitiis
adiunctum ha-
beat, oportet.

mansuetudinem & lenitatem addiscere, habere cor contritum, & quod absurdas concupiscentias repellat, ante oculos continuo p-
ponere oculum æterni iudicis; liberalè esse in dando elemosinã, nullum malum aduersus proximũ in cor admittere. Et infra: Pro-
pter hæc abstinentiam à cibis præcepit Dñs, vt refræntes carnis lasciuias eam obediẽtem faciamus, & ad mandata Dñi implenda sequacè. Ieiunium corpus cõprimit, lasciuias inordinatas refræ-
nat, animam clariorem efficit, & sublimem & leuem facit.

1. Cor. 9.

IDEM exponens illud Apostoli: *Castigo corpus meum, et in serui-
tutem redigo*, ita scribit: Si ille, cui tanta contigit gratia, post tanta &
talia opera opus habebat, vt castigaret & in seruitutem redigeret,
& subiiceret potestati & dominio animæ corporis lasciuias: (ca-
stigit enim, quod insurgit, & in seruitutem redigit, cui frænum
imponit) quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus destituti, om-
nibus peccatis onerati sumus; & præterea magnã ignominiam
præ nobis ferimus? nunquid inducias habet hoc bellum? num
tempus aggrediẽdi dilatatum? omnes nos vigilare & sobrios esse
oportet, & nunquam in securitate esse. En vt sanctus hic vir ne-
mini, dum in hoc mortali corpore versatur, securitatẽ promittat?
En vt oēs, vti semper in acie consistant, ieiuniisq; & aliis piis ope-
ribus vacent, nec non assiduò cum carne & dæmone, qui nun-
quam non infestant, bellum gerant, studiosè admonet?

Dæmones & fo-
mes nullas in-
dulgent indu-
cias.

Lib. 10. in Gen.

CYRILLVS: Est certè libertas Christiana per omne tem-
pus ieiunandi, non obseruantia superstitione, sed virtute conti-
nentia suffulta subsidiis? Quomodo Scripturis operam dabunt?
Quomodo sapientia & scientia studebunt? nõne per conti-
nentiam ventris & gula? Quomodo seipsum quis castrat pro-
pter regnum cœlorum, nisi cibariorum affluentiam refecet? nisi
abstinentia vtatur ministra. Hæc Cyrillus, quæ paucis eò ten-
dunt, vt intelligamus, neque victoriam contra carnem absque iei-
unio obtineri, neq; aliud quicquam præclarum absque eiusmodi
adminiculis præstari.

Ieiunium est in-
strumentum ad
omne opus bo-
num; gula autẽ
ad omne vitium
& peccatum.

Serm. 6. de coll.
ser. 8.

Ieiunio concupi-
scẽtia carnis ex-
tinguuntur.

LEO Magnus: Oratione propitiatio Dñi quæritur, ieiunio
verò concupiscentia carnis extinguitur. Et infra: Quamuis sine
anima caro nihil desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumit &
motus; eiusdem tamen est animæ, quædam sibi subdita substan-
tia negare, & interiori iudicio ab inconuenientibus exteriora
fra-

frænare; vt à corporis cupiditatibus libera in aula mentis possit diuinæ vacare sapientiæ: vbi omni strepitu curarum silente, meditationibus sanctis in deliciis lætetur æternis. Quod si in hac vita difficile est continuari, potest frequenter assumi, vt sæpius ac diutius spiritualib. potiùs quàm carnalibus occupetur. Et paucis interiectis subdit; Huius obseruantia vtilitas in Ecclesiasticis est præcipuè constituta ieiuniis.

QVÆ hucusque ex Patribus allata sunt, ea disertè probant, ieiunium inter omnia, quæ inordinatos carnis motus comprimere carnaliaque vitia extinguere nata sunt, primas facillè obtinere. Probât nihilominus, ieiunia generatim accepta, omni quoque lege seclusa, medicamentum esse Ecclesiæ membris vsq; adeò necessarium, vt absq; illius præsidio salua consistere, vel non queant, vel ægrè admodum queant. Nam etsi singulis necessaria non sunt (comperiuntur enim multi infirmi; multi rursus, qui præ miseria alimento indigent magis quàm ieiunio; nonnulli etiam peculiari DEI gratia, longaque exercitatione id consecuti sunt, vt domesticæ hostis importunitatem non magni faciant,) in omni tamen hominum statu, ætate, & genere, semper inueniuntur aliqui, qui isthoc antidoto indigent, & ita quidem indigent, vt absq; eo commodè sanari non valeant.

Ieiunia Ecclesiæ membris necessaria, etsi non singulis.

SEQUITVR hinc quoque, qui generatim & indiscriminatim eos omnes à ieiunij lege eximunt, qui infra vigesimum primum ætatis annum constituti sunt, iudicio egere, ne quid grauius dicam. Etenim Ecclesia, quæ humanæ salutis auerisissima & studiosissima est, nec vult, nec iuste velle potest, eos ab omni ieiunij lege absolute absoluere, qui tali animi morbo tenentur, vt citra ieiunium sanari, vel non possint, vel ægerrimè possint. At qui adolefcentes pleriq; omnes, vbi decimum quartum, vel quintum, vel sextum ætatis annum excefferunt, nonnunquam tam acerbis Veneris stimulis perurgentur, vt solo ieiunio à tam infesto & pertinaci malo liberari posse videantur. Eos itaque à tam salutari, præsentaneo, & necessario præsidio arcere, aliud nihil est, quàm salutis eorum reum se constituere; arcent autem non obscure, qui ab omni ieiuniorum lege & obligatione simpliciter illos liberos pronunciant.

Ieiunia non solum adultis, sed ephæbis quoque sepe numero sunt necessaria.

ALLE-

Basilii et Bernar-
di ætate nulla
gras à ieiunii le-
ge generatim
eximebatur.

ALLEGANT qui ab illis vel contra illos veriùs stant, ieiunia iusto corporum robori & incremento nonnullum detrimen- tum adferre. Verùm hæc causa (dummodo illorum ieiunia mo- dum non excedant) neque vera est, neque quæ admittatur satis idonea est. Constat enim, ætate Bernardi & Basilij Magni, & mul- tos quoque annos antè, homines eodem corporis robore pol- luisse, quo nostro hoc tempore: & tamen, vt suprà audiimus, nullus illorum ætate sexus, nulla ætas, nulla hominum conditio à communibus Ecclesiæ ieiuniis eximebatur, nedum ab iis, quas dicitur lex naturæ. Constat nihilofecius, plerasq; Ecclesias Ori- entales nullos ex illis (nisi morbus forsan vel aliud impedimen- tum aliud suadeat) à communi ieiuniorum lege absoluerunt, qui corpori & sanguini dominico communicarunt, vel decimum quartum ætatis annum expleuerunt; & tamen regionis illius ho- minibus, neq; iusta corporis moles, neq; iustum quoq; corporis robur deest; quod si cui alterutrum deest, non deest propter iei- unium, sed propter aliquam aliam causam. Constat tandem, ieiunia non ordinari ad robur vel salutem corporis; sed ad salu- tem & robur animæ. Quare si hæc citra ieiunium salute potiri non potest, vel commodè non potest, (id quod sæpe vsu venire solet) contemnendum est, quod de corporis incommodo alle- gatur; Maximè verò cùm eiusmodi incommodum vel nullum sit, vel tam exiguum sit, vt nulla eius ratio habenda videatur.

Iuniores ad quæ-
dam Ecclesiæ iei-
unia inducendi
& compellendi.

MITTO hîc, illos ipsos, qui iuniores ab omni omnino ieiunij lege simpliciter absoluunt, haud grauatim fateri, consultè eos fa- cere, qui adolescentes, imò etiam pueros inducunt, vt semel aut iterum quauis Quadragesimæ hebdomada ieiunent. Iam si citra vllam naturæ offensionem aut incrementi iacturam, (hanc vni- cam enim illi vrgent, qui vigesimo primo anno minores genera- tim ab omni ieiunio excusant) bis aut ter singulis hebdoma- dis ieiunare possunt, poterunt vtiq; omnia extraquadragesi- malia ieiunia citra vllam valetudinis offensionem obseruare; vt quæ communiter ad vnum tantum, aut alterum diem protendân- tur. Saluo proinde grauissimo Ecclesiæ iudicio, censerem ado- lescentes, vbi decimū quartum vel quintum annum expleuissent, non ad ea tantum ieiunia minis & cohortationibus adigendos, quæ lex naturæ ab illis exigit, sed ad quædam quoq; Ecclesiastica; nam

nam ad omnia strictè obseruanda illos compellere, fortè non expedit.

SECVITVR ex prædictis rursus, nullum omnino mortalium, quantacumque tandem auctoritate polleat, aut præeminentia fulgeat, ieiunium absolute acceptum vniuersè abrogare, vel ita cum omnibus & singulis super ieiuniorum lege dispensare posse, ut nullus amplius ad vllum prorsus ieiunium obligetur. Solus autem vniuersè dispensare hic potest, qui solus omnem ieiunandi causam, omnemque animi morbum præcindere per se potest, nempe DEVS Opt. Max. Cederet enim vniuersalis illa ieiunij abrogatio in apertum iuris diuini & naturalis præiudicium, & in manifestam quoque infirmarum animarum perniciem. Oboleretur namque ea ratione præsentaneum, & ordinarium, & ad spiritualis vitæ cõseruationem omnino necessarium alexipharmacum. Dixi, neminem ieiunium absolute acceptum abrogare posse. Si quidem ieiunium, quod iam olim obseruatur in Ecclesia, si causa adesset, mutari, vel abrogari quoque posset.

CONSECVITVR hinc tandem, novos illos Physicos, qui totum penè Euangelium à vero legitimoque sensu & scopo in carnalem quandam libertatem transferunt, præ nimia mentis cæcitate si non aperte pugnantia, certè admirabilia statuere ac scribere: Patentur enim, magnisque vocibus deblaterant, post susceptum Baptismi Sacramentum vsque adeò atrocem incensamque carnis libidinem in regeneratis adhuc superesse, ut totus homo quasi caro, vel quædam carnalium vitiorum sentina effectus, aliud nihil cogitare, nihil dicere, nihil facere queat, nisi peccatum. Sed neque diffitentur quoque, fidelibus perpetuò cum hoc hoste dimicandum, & congregiendum esse; imò verò potissimam perfectionis Christiani hominis partem in eo obnixu & pugna consistere, palam prædicant. At cum vtrumque agnoscant, publiceque doceant; præcipuum tamen validissimumque telum, quo contra hunc hostem digladiandum erat, Sanctique & sapientes omnes digladiari solent, & digladiandum esse monent, puta ieiunium, Christiano populo è manibus eripere enixè contendunt.

ADMITTUNT sanè illi quoddam ieiunium, sed illud planè commentitium, multisque nominibus mutilum & mancum. Tradunt

Nullus mortalium ieiunium absolute acceptum vniuersè abrogare potest.

Sectariorum doctrina sibi planè dissentanea.

Cuiusmodi ieiunium admittant & statuunt fœtarij.

dunt enim, eos demum verè & Christianè ieiunare, qui contra abstinentiæ legem nihil committunt. Addunt, nihil referre, semelne comedas, an bis, carnemue an piscem, vel aliud quodcunque vores, dummodo valetudini rectè consulas, & intra morales abstinentiæ limites te contineas; & tamen clarè iam antè ostensum est, & apud eos, qui cor & oculos habent, palpabile est, aliud esse ieiunare, vt CHRISTVS per Apostolos ieiunandum esse docuit, & totus fidelium cœtus iam inde ab Apostolorum tempore ieiunare semper consuevit, aliud abstinentiæ leges non excedere. Dicunt tandem, nullum ieiuniorum tempus vlli omnino præscribendum esse, sed vnicuique, quando ieiunare velit, & quantum velit, & quomodo velit, liberum relinquendum. Sed hoc æquè absurdè & dissentaneè ac primum: Nam si vnusquislibet debet & potest sibi certum tempus deligere, quando ieiunio operâ dare velit; ergo non semper est ieiunandum; quod prima illorum sententia disertè profitetur: Nam, vt ipsis placet, aliud nihil est ieiunare, quàm abstinentiæ leges accuratè obseruare; at illas semper seruare oportet.

Seu maiorum sententia semper est ieiunandum.

AD hæc si omnino ieiunandum est, vt ieiunandum esse Antagonistæ non dissententur, quæro ab iis, semperne ieiunandum sit, an aliquo certo tempore. Si omni tempore ieiunandum est; ergo eo etiam tempore, quo ab Ecclesia ieiunium indictum est: Siquidem omne tempus nullam temporis partè excludit. Si aliquo certo tempore; ergo aliquo tempore intemperanter viuere fas erit: Idem enim apud illos est ieiunare, quod naturæ conuenienter viuere. Rursum si non omni, sed aliquo certo & definito tempore; ergo cum, vt ipsi ponunt, non sit maior ratio de vno, quàm de altero, illud obseruandum erit, quod à lege vel consuetudine præscriptum est. Quandoquidem si quid secundum se adiaphorum aut indefinitum ad certum tempus vel modum determinandum est, si rationem ducem sequamur, plus apud nos valere debet maiorum statutum, vel communis populi consuetudo, quàm priuata cuiusque libido.

DICENT ad hæc forsân, omni tempore ieiunandum esse, adeoque illo etiam, quo Ecclesia ieiunium indicit, verum non eo modo, quo iubet Ecclesia. At hæc exceptio nulla est; siquidem vt extet aliquod veri nominis ieiunium, modum à communi

mani abstinentia diuersum habeat oportet. Talem autem modum illi nullum assignant; sed neque vllum quoque, qui eo, quem designauit Ecclesia, sit moderatior, omniq̄ statui & ætati conuenientior assignare possunt. Excipient alij fortassis, & dicent: In modo, in tempore, aliisque similibus ab alterius præscripto dependere, Christianæ libertati non satis consentaneum esse. Verùm hoc quoque nihil est: Sæpe enim iam dictum est, & per se satis quoque manifestum est, Euangelium non prædicare carnis licentiam, sed crucem, sed propriæ voluntatis abnegationem, sed obedientiam, sed omnem virtutis actionem. Notum est enim illud CHRISTI: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Item: *Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Rursum: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* aliaque multa eiusmodi. Ad hæc nullum potest esse ieiunium, quod omni modo & lege sit prorsus destitutum: Inepta sunt ergo, quæ de modi vel temporis libertate allegant Sectarij. Verùm de primo præcipuoq̄; ieiuniorum effectu satis.

CAETERVM ex carnis carnaliumq̄; desideriorum & vitiorum mortificatione, quam ieiunium per se primò efficit, naturali quadam *συνεργία*, sequitur alius eiusdem fructus æquè ferè illustris ac is, de quo hæcenus egimus, nimirum mētis ad DEVM eleuatio. Nam cum caro & spiritus veluti opposita perpetuò inter se colluctentur, consequens fit, vt eò spiritus magis assurgat & floreat, quò carnis sensus magis deprimatur, & conculcatur; è diuerso verò vt spiritus eò magis langueat, prostratusque iaceat, quò caro commodè molliterque habita, petulantius contra ipsum insurgit. Alter proinde ieiuniorum effectus est mentis ad DEVM ascensus, cæteraque omnia, quæ cum hac mentis eleuatione naturalem connexionem habent, vt sunt cœlestium rerum gustus, orationis feruor, petitorum impetratio, diuinorum secretorum præceptio, pluraque id genus alia, quæ Scripturæ & Patres ea de re produnt. Constat enim, Danielem non prius ea, quæ genti suæ olim euentura erant, & alia præterea multa, quæ ad CHRISTI regnum pertinebant, diuino spiritu mentem illius collustrante, & subuchente hausisse, mundaque patefecisse, quàm trium hebdomadarum ieiunio se macerasset. Neque ELIAM rursum prius ad DEI visionem,

g 2 quanta

Scripturæ inter abstinentiam & ieiunium manifestè secerunt.

Matth. 16.

Luc. 9.

Matth. 10.

Matth. 19.

Ex carnis compressione naturaliter consequitur mētis seu spiritus in DEVM eleuatio.

Dan. 10.

Ieiunium subleuat mentem ad DEVM, rerumque cœlestium notitiam & gustū conciliat.

quanta homini in hac mortali vita obtingere potest, admissum esse, quàm 40. dierum ieiunio ad eiusmodi spectaculum se parasset. Neque Moysen tandem antè legis tabulas, quibus secreta **DEI** voluntas continebatur & exponebatur, in monte Syna accepisse, quàm 40. dies non absque miraculo ab omni cibo & potu abstinuisset. Verùm præstat, ea de re veteres Patres differentes audire.

Exod. 24 34.

Serm. de ieiun.

Dan. 2, 3.

Exod. 24 34.
3. Reg. 19.

CYPRIANVS: Ieiunium carnes azymas mundat & solidat, & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & ficit. Ieiunium scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur. Danieli interpretatio formiorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio egrediuntur incendio. Moyses in monte 40. diebus cum Domino perseverans, & **DEI** familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Elias quoque eodem dierum numero abstinens in eremo conuersatur. Vtilitas ieiuniorum, temporibus Christianis clariùs patuit, & à multis frequentata in plurimos se effudit. Quoties viri virtutum aliquid à **DEO** obtinere conati sunt, ieiuniis incubere & lachrymis; & pernoctantes in orationibus ciliis carni adhærentibus supplices beneficia postularunt: nec defuit prouentus. Hæc Cyprianus de ieiuniorum vi, dum aliis pietatis officii non destituuntur.

Apol. cont. Genes. 40.

Lib. de virg.

Dæmones oblectantur crapula & corporis otio: ieiunium autem vehementer metuunt.

TERTULLIANVS: Nos ieiuniis aridi, & omni continentia aspersi, in sacco & cinere volutâtes, **DEVM** tangimus, & cum misericordiâ extorserimus, honoramus. **ATHANAS**: Quisquis immundo spiritu vexatur, certum habere debet, spiritus malos ieiunio afflictos abscedere, vim ieiunij meruentes; valde enim Dæmones oblectantur crapula & otio corporis. Magna vis ieiunij, magna & præclara fiunt per illud. Alioqui quomodo fieri posset, vt homines tam mirifica præstent, vt Dominus per eos vel signa faciat, vel sanitatem laborantibus donet, nisi planè ob denotas meditationes, & humilitatem animi, & conuersationem bonam? Ieiunium enim est cibus Angelorum, & qui eo vitur, ordinis Angelici censendus est. Atqui Angeli perpetuò in diuinorum mysteriorum contemplatione versantur, mentemque iugiter in **DEVM** erectam habent.

BASILIVS: Ieiunium restrinxit vim ignis, obturavit ora leonum; ieiunium preces nostras subuehit in cœlum, dum illis alarum vice fit, quo sursum ferantur. Ieiunium familiarum est incrementum, iuuentutis pædagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatori, tutus conuictor coniugatis. Ieiunium Prophetas generat, potentibus robur addit. Ieiunium legumlatoribus sapientiam subministrat. Ieiunium est bona animæ custodia, corporis tutus conuictor, armatura fortiter belligerantium, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem; atq; vt semel omnia dicam, reperies quotquot fuere Sancti, omnes per ieiunium ad vitam **D E O** dignam fuisse institutos.

AMBROSIVS: Magna virtus est ieiunij, tam speciosa militia est, vt ieiunare delectaret & **C H R I S T V M**; tam valida, vt ad cœlum homines eleuaret. Et vt humanis magis, quàm diuinis exemplis vtat, Helix ieiuni ore vox emissa cœlum clausit sacrilego populo Iudæorum. Quid reliqua eius contexam? Ieiunus filium viduæ ab inferis resuscitauit; ieiunus pluias ore deposuit; ieiunus ignes de cœlo deduxit; ieiunus curru raptus est ad cœlum, & 40. dierum ieiunio diuinam præsentiam acquisiuit; tunc deniq; plus, quando plus ieiunauit. Et infra: Quid est ieiunium nisi substantia & imago cœlestis? Ieiunium est refectio animæ, cibus mentis. Ieiunium vita est Angelorum. Ieiunium est culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis; hoc ad **D E V M** gradu citius peruenitur.

AVGVSTINVS: Aduertamus, quanta sit inter ieiunium & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis æstuantem. Moyses quia ieiunauit, vidit Dominum; populus quia manducauit & bibit, idola fabricatus est. Eiusdem ferè sententiæ sunt hæc Hieronymi: Sed neque secunda conscriptio tabularum, absque ieiunio potuit impetrari: quod ebrietas perdiderat, inedia reperit; ex quo ostenditur posse nos per ieiunium redire ad paradisiu, vnde per saturitatem fueramus eiectioni.

L E O Magnus: In omni agone certaminis Christiani, vtilitas continentiæ plurimum valet; ita vt quidam sæuisimorum spiritus Dæmonum, qui ab obsessis corporibus nullis exorcizantium imperiis fugantur, sola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non eicitur, nisi in ieiunio*

Serm. 1. de ieiun.
dam. 2. 6.

Ieiunium Prophetas generat,
& sapientiã ad-
ministrat.

Lib. de ci. & ieiun.
c. 2.

3. Reg. 17.

Iacob. 5.

4. Reg. 1.

4. Reg. 2.

Cap. 3.

Ieiunium est radix gratiæ, castitatis fundamentum.

Ser. 65. de temp.

Li. 2. con. Iouin.

Per ieiunium patet reditus ad paradisiu.

Serm. 2. de ieiun.
7. mens.

Matth. 17.

Ieiunatis oratio
DEO grata da-
monibus terri-
bilis.

Qui sanctè ieiunat, à mūdo alienatur & spiritalis efficitur.

Serm. 1. de ieiun.
Quadr.

Serm. 43.

Psal. 50.

Hom. 1. in Gen.

Ieiunium omnē
aetatem & sexū,
quasi diademate
coronat.

Eiusdem est vitia
profligare & vir-
tutes inducere.

Et oratione. Grata est ergo DEO, & terribilis dæmonibus ieiunantis oratio. Nec latet, quantum acquirat suæ salutis, quæ tantum præstat alienæ.

ISIDORVS: Quis parsimoniam non laudet? ieiunium non prædicet? ieiunium res sancta est, opus cœlestis, ianua regni, forma futuri, quod qui sanctè agit, DEO coniungitur, alienatur à mundo, spiritalis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, Diaboli tentamenta vincuntur. BERNARDVS: Non est magnum, si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. Et infra: Ieiunium corporis est vnctio capitis, & carnis inedia, est refectio cordis. Quid ni dixerim vnctionem, quæ & medetur vulneribus, & exasperatas conscientias lenit?

PETRVS Chrysologus: Mala tempora facit nobis contemptus temporum, cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, ieiuniis consequamur, animas nostras ieiuniis immolemus, quia nihil est, quod DEO præstantius offerre possimus, Propheta probante, cum dicit; *Sacrificium DEO spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEVS non spernit.* Homo offer DEO animam tuam, & offer oblationem ieiunij, vt sit pura hostia, sacrificium sanctum, viuens victima, quæ & tibi maneat, & DEO sit data. CHRYSOSTOMVS: Ieiunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentium schola, continentium magister, qui omnem aetatem & sexum quasi diademate quodam ornat.

EX omnes hi patres alio alióque orationis genere; alia rursus aliaque via & ratione illustribus sententiis & verbis probant, quod hic probatum volebamus; nempe ieiunij opus esse, mentem ad DEVM eleuare, rerumq; cœlestium amore eandem inflammaré, Dæmonibus imperare, ad diuinorum arcanorum cognitionem viam munire, ieiunantiū preces cœlesti numini gratas acceptasq; reddere, aliáq; id genus non vulgaria virtutum ornamenta à DEO Opt. Max. impetrare. Ecquidni virtutes impetret ieiuniū, vel eandem augeat, cui vnus hoc munus incumbit maximè, vt carnis vitia ex animæ regno profliget, eandemque spiritui subiuguet? Constat enim, eiusdem esse vitia, profligare, & virtutes inducere; quippe cum in hoc rerum statu anima alterutrius, prorsus experta esse non queat.

SED

SED & ipsum quoque ieiunium, vt pium & iustum, nullaque vitiosa circumstantia deformatum est, præstantis cuiusdam virtutis actus est; neque enim bonos viros facere posset, si aut virtus, aut præcellentis alicuius virtutis actus non esset: efficit autem optimos. Quotquot viros virtutis vidimus, scribit Cyprianus, sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magni moliti sunt, nisi abstinentia præcessisset. His consentiunt hæc Basiliana; Comperies, quotquot fuerunt Sancti, omnes per ieiunium ad vitam DEO dignam fuisse institutos. Ad hæc supra ostensum est, ieiunium vel opus esse abstinentiæ, vel peculiarem abstinentiæ speciem; abstinentia autem inter virtutes temperantiæ annexas primatum tenet. Actus rursus & habitus ad idem virtutis genus pertinent. Denique quivis actus humanus ex eo studiosus dici solet, quod per rationem ad suum honestum ordinatur, ieiunium autem Christianum per fidei aut rationis lucem refertur ad carnis mortificationem, ad cælestium rerum contemplationem, ad vitiorum expiationem, aliâque eiusmodi, quæ omnia constat esse honestissima, rectæq; rationi quàm maximè consentanea. Ieiunium itaque non modò virtutum causa, sed præclaræ quoque virtutis actus est.

Serm. de ieiun.
Ieiunium bonos
& sanctos viros
efficit.
Serm. de ieiun.

Ieiunium est actus
abstinentiæ, hæc
autè species tem-
perantiæ.

Ieiunium æternæ
vitæ est merito-
rium.

Matth. 6.

Debita merces
ponit meritum.

IAM cum omne omnino iusti verèque studiosi hominis opus vitæ æternæ sit meritorium, sequitur, ieiunia non modò vitiorum expiatoria, multorumq; illustrium donorum conciliatoria esse, sed cælestis quoq; gloriæ meritoria. Neque hoc CHRISTVS Dominus, vbi legitimum ieiunandi modum præfinit, quicquam dissimulat; ait enim: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, & pater tuus, qui videt in abscondito, & πὸ δώρετι σοὶ ἐπιπέσει τὸ φανερόν*, hoc est, reddet vel retribuet tibi in aperto. Atqui omnis iusta redditio ponit debitum, hoc aut meritum. Ea namq; reddimus, quæ iusto titulo aliis debemus. Pertinet huc quoque, quod Hieremiæ 35. legitur de Rechabitis, Ionæ tertio, de Ninivitis, Iudith 4. & Ester 3. & 4. de Iudæis morti destinatis, Matth. 17. de Dæmonibus soli ieiunio & orationis vi cedentibus, & alibi alia de aliis.

DE veterum Theologorum & Patrum super hac re sententia nulla est quæstio. Nihil enim æquè apud illos vñtatum est, ac ea adscribere ieiuniis, quæ inter vera rationis merita vel primas obtinent. Constat

Constat enim, peccata expiare, delictorum veniam impetrare, infernum claudere, cœleste regnum patefacere, filios DEI ex filii iræ efficere, mentem cœlesti cibo pascere, animam purificare, hominem ex morte redimere, aliâque id genus complura, quæ prisci Theologi ieiunio passim tribuunt, res esse tales, quæ citra illustre meritum ordinariè nō obueniunt. Porro autem quo sensu, quâue ratione ieiunium tanta hæc verè tribui queant, id alibi iam explicatum est, & suo fortassis loco denuo explicabitur, hic solùm ostendere lubuit, Patres hæc aliâque eiusmodi ieiunium familiariter tribuere.

Sermo. de ieiun.
de ieiun. & eli.

CYPRIANVS: Ieiunium ardentis Ætæ incendium extinguitur, vitiorum sentina siccat. AMBROSIVS: Ieiunium est mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, refectio animæ, cibus mentis, purificatio animæ, charitatis illecebra, alimentum salutis, reconciliationis sacrificium, incrementum virtutis. ISIDORUS: Ieiunium est res sancta, opus cœlestis, ianua regni: per ieiunium prosternuntur vitia, diaboli tentamenta vincuntur.

Ser. 4. de ieiun.

BERNARDVS: Bonum & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum redimuntur hoc modo peccata. Non solùm autem est abolitio peccatorum, sed extirpatio quoque vitiorum. Non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura quæ committere poteramus.

Lib. de virg.

ATHANASIVS: Magnum munimentum est ieiunium: Oratio item & eleemosyna, cum ex morte hominem liberet. Ut enim ob escam & inobedientiam deturbatus est Adam ex paradiso; ita rursum per ieiunium & obedientiam in paradysum, qui voluit, redibit. BASILIUS: Ieiunium peccatum in intimis secessibus habitans extinguit enecatque, ieiunium tentationes depellit, ieiunium ad pietatem vngit, & vim ignis extinguit. Hæc patres illi de ieiuniorum vi & robore, quibus nihil dici potest clarius, aut ad reuincendum aduersarium potentius.

Hom. 1. de ieiun.

Ieiunium est satisfactorium, promeritarumque peccatorum expiatorium.

PORRO autem cum communi doctorum hominum sententia omnis omnino actus meritorius, simul quoque soleat esse satisfactorius: ieiunium verò pio animi studio susceptum perfectumque vitæ æternæ sit meritorium; consequens sit, ut idem quoque promeritarum peccatorum sit expiatorium: Siue illud ab Ecclesia fuerit indi-

indictum; siue à Confessario iniunctum; siue sponte quoque susceptum. Nam etsi ieiunia à Confessario iniuncta cæteris expient efficacius (sortiuntur enim hæc non solum ex se internaque ieiunantium qualitate vim & energiam, verum etiam ex clauibus Ecclesiæ): cætera tamen sua satisfaciendi efficacitate non carent. Quandoquidem vt opus aliquod verè proprièque sit satisfactorium, sat est, si ex charitate sit ortu, carnique sua natura molestiam adferre natum, etiamsi propter aliquam causam molestiam actu non adferat. Eiusmodi autem sunt tam ea, quæ vltro suscipiuntur, vel maiorum auctoritate indicuntur, quàm ea, quæ sacerdotis arbitrio penitenti præfinitur. Ad hæc satisfacere idè est quandoque, quod peccatorum radices excindere, eorundemque suggestionibus aditum non præbere; eam autem vim non illa tantum ieiunia habent, quæ à confessario iniunguntur, verum ea etiam, quæ ab Ecclesia indicuntur, vel sponte à penitente suscipiuntur. Denique quando Theologi de satisfactionis officiis disputant, propriumque inter illa locum ieiuniis assignant, nihil secernunt inter indicta & non indicta; sed absolute omnia ieiunia pio castoque animi proposito suscepta satisfactoria esse pronuntiant, & rectè pronuntiant; singula enim eiusmodi vi pollent.

ENIMVERO quòd ieiunium à Confessario indictum, sit satisfactorium, id nemo negat, nisi qui errore deceptus, vel malitia occæcatus tertiam sacramenti penitentiæ partem in dubium vocat. Nani si vllum omnino opus verè est satisfactorium, vt citra omnem controuersiam est, certè ieiunium à sacerdote absolvente indictum, maximè est eiusmodi. Quandoquidem ieiunium illud est opus genere suo bonum & voluntarium, est nihilofecius externo homini sua natura molestum, & charitate, vt hîc ponimus, informatum; (Nam de iustorum ieiuniis præcipuè hoc loco agimus) est tandem ab eo, qui auctoritatem habebat, iniunctum & præfinitum. cur ergo nõ esset satisfactorium? Mitto hîc, penitentes miserrimè delusum iri, idque ab Ecclesia, quæ columna & firmamentum est veritatis, si illiusmodi ieiunia non essent verè satisfactoria. Constat enim, per ministros suos ieiunia satisfactoria loco peccata confitètibis iniungere. Constat æquè, seriò penitentes ieiunationis molestiam, quò à peccatorum reliquiis absoluantur, promptè, alacriterque subire. Si ergo ad finem hunc

h obti-

Ieiunia à confessario iniuncta præ cæteris satisfactoria.

Gregor.

Omnia ieiunia, nisi in ieiunante hæreat impedimentum, sunt satisfactoria.

Ieiunia penitenti iniuncta, multis modis penarum sunt expiatoria.

Si ieiunia penitentibus iniuncta non essent verè satisfactoria, Ecclesia filios suos manifestè deciperet.

obtinendum ieiunationes nihil prodesse, in re summi momenti deciperentur grauissimè. Sed absit, vt Ecclesia filiis suis in re vique adeò graui tam graui ter imponat.

QVOD rursum ieiunium ab Ecclesia indictum eiusmodi vim habeat, id ex causis iam adductis perspicuè patet. Quandoquidem in id genus ieiuniis comperiuntur ea etiam omnia, quæ de intrinseca satisfactionis ratione existunt: puta operis molestia, moralisque & naturalis eiusdem bonitas, ieiunantis voluntas & charitas, indigentis vel præcipientis auctoritas. Liquet idem quoque ex Ecclesiæ precibus, quibus publicè disertis verbis istuc asseritur. Ecclesiæ vox est: Concede misericors DEVS, vt hoc solenne ieiunium, quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus: Atqui anima non solum curatur à noxa, verum etiam à pœna, in hac vel altera vita dependenda. Similes preces intra Quadragesimale tempus occurrunt plures, quæ omnes citra vllam dubitationem ab omni falsitate immunes sunt; nisi enim tales essent, Ecclesia in publicis & solennibus sacrificiis nullo modo eas adhiberet. Colligitur illud ipsum tandem ex cognatis satisfactionis partibus; fatentur enim, quotquot orthodoxè scribunt & sentiunt, eleemosynas & preces, quas Ecclesia ob causam aliquam indicit, satisfactorias esse. Idem de flagellis quoque, quæ vel DEVS immittit, vel naturalis rerum cursus adducit, statui consuevit. Cur ergo ieiunia, quæ non minùs sunt molesta, quàm illa, satisfactoria non habeantur? An non familiariter dici solitum est, ieiunia ad hoc præcipuè ab Ecclesia instituta esse, vt illa diluantur & expiantur, quæ inordinato carnis amore contra DEVM vel proximum commissa sunt?

DENIQUE quòd ieiunia sponte suscepta eadem illa vi præsentent, id euidenter ostendunt, quæ iam exposita sunt: Siquidem voluntarium operis vires non eleuat, sed sepe auget; cæteris namque exæquatis eò vnumquodque opus magis videtur meritorium & satisfactorium, quòd ex meliori alacriorique voluntate proficitur; atqui non minùs id voluntarium est, quod nemine iubente vel vrgente suscipitur, quàm quod secundum alterius præscriptum obitur. Communi huic rationi addo, ieiunium sponte susceptum, debitoque modo expletum, omnium rectè sentientium iudicio

Ieiunium animabus corporibusque curandis salubriter institutum est.

Flagella vnde cūq; illata, sunt satisfactoria.

Ieiunia sponte suscepta, sunt satisfactoria.

iudicio, vitæ æternæ meritorium esse; sed multò maioris momenti res est, promereri vitam æternam, quàm redimere quamcunq; pœnam temporariam. Sunt fanè Ecclesiæ clauēs efficaces, vires q; satisfactoriorum operum non parum angent; attamen ad satisfactionem non sunt absolutè necessaria, alioqui ante conditum Euangelium nullè extitissent verè satisfactiones; quod est falsum.

TANDEM non est maioris operè maiorisue difficultatis, cladem vel mortem propter peccata à DEO in hac vita intentatam propulsare, quàm peccatorum reliquias exhaurire, aut pro temporariis pœnis satisfacere; at illud per ieiunia aliàque opera seriatim digna fieri posse, ostendunt complura illustria Scripturarum exempla. Constat enim, Niniuitas, Bethuliatas, Iudæos sub Assueri imperio degentes, Machabæos eorundemque socios, Regem Achab, Manassen, & alios præterea quàm plurimos per ieiunia & alia pietatis officia ab impendenti vitæ periculo se liberasse, calamitatemque, quæ ceruicibus illorum impendebat, euasisse. Niniuita, scribit Clemens, cum per tres dies & noctes ieiunassent, iræ DEI periculum effugerunt; Ester quoque & Mardochæus & Iudith impiorum insultationem, id est, Holophernis & Aman ieiunio declinauerunt. Et Dauid dicit: *Genus meum infirmatum est à ieiunio & caro mea immutata est propter oleum.* Vos quoque supplicationes vestras per ieiunium DEO offerte.

Hic quoque pertinet illud Hieronymi: Niniue imminentem iram Domini, ieiuniorum miseratione detorsit, quam & Sodomam quoque placasset & Gomorrha, si voluissent agere pœnitentiam, lachrymis patrocinate ieiunio. Achab rex impiissimus, ut sententiam DEI subterfugeret, & euersio domus eius differretur in posteros, ieiunio impetrauit & sacco. Et illud nihilominus Chrysostomi: Ieiunium sententiam reuocat: dixit enim DEVS, subuertetur Ninive, & non est subuersa; Adhibuerunt enim ieiunium & effugerunt. Et illud tandem Petri Chrysologi, quod paulò antè attigi: Mala tempora, scribit ille, facit nobis contemptus DEI, non temporum cursus. Quod ergo contemptu perdidimus, ieiuniis conquiramus, animas nostras ieiuniis immolemus, quia nihil est, quod DEO præstantius offerre possimus. Patet itaq; ieiunium vncunq; acceptum, satisfactorium esse.

h 2 DE

Maiores momenti est promereri vitam æternam, quàm redimere pœnam temporariam.

Non est maioris operè, mortem vel etiam cladem per ieiunia redimere, quàm Deo pro peccatorum reliquiis satisfacere.

Lib. 5. cap. 21.
Apost. const.

Psal. 108.

Lib. 2. con. Iouis.

Ion. 3.
3. Reg. 21.

Serm. 1. de ieiunio.

Serm. 43.

Summa eorum,
quæ ieiunia præ-
stant.

DE aliis peculiaribus ieiuniorum effectis & viribus seorsim agere non attinet; quippe cum nullæ sint omnino, quæ ad capita nunc exposita citra incommodum referri non queant. Ut ergo, quæ sparsim hucusque dicta sunt, in vnum colligamus, ieiunium carnem edomat, ieiunium mentem ad DEVM eleuat, ieiunium meritum parat, ieiunium peccatorum reliquias expiat, ieiunium Dæmones profligat, ieiunium miracula patrat, ieiunium iratum DEVM placat, ieiunium diuina mysteria reuelat, ieiunium hominibus apud homines gratiam & auctoritatem conciliat, ieiunium animas expurgatorij cruciatibus liberat. Denique tantæ sunt ieiuniorum vires, tantique ac tam mirifici eorundem fructus, vt omni quoque diuina humanaq; lege sublata, aduerso casu urgente, aut grauiori quocunque carnis cum spiritu confictu infestante, ab omnibus CHRISTI fidelibus studiosissimè adhiberi iure meritoque semper debeant.

Non omnes, qui
ieiunant, ritè &
meritoriè ieiunant.

AT obiciet hîc fortè quispiam; si ieiunium tantarum virium esset, Monachi ceterique omnes, qui crebris ieiuniis vacant, magnæ perfectionis & sanctimonie viri forent, & tamen ea perfectio & sanctimonia in illis non apparet? Ad hoc breuiter respondetur, quæ de ieiuniis eorundemque viribus hucusque asserta sunt, ea non de quouis ieiunio promiscuè accipienda esse, sed de iustorum ceterorumque, qui pia, sancta, & studiosa voluntate ieiuniis dant operâ. Nam vt non omnes, qui orant, vel eleemosynam erogant, rectè & meritoriè orant, aut eleemosynas erogant; ita non omnes quoque, qui ieiunant, rectè & meritoriè ieiunant. Comperiuntur enim, qui Pharisaicè ieiunant, alij qui gulosè, alij qui dolosè, alij qui immoderatè vel inordinatè, alij qui superstitiosè vel hæreticè, alij qui sathanicè, alij tandem, qui alio modo inter ieiunandum errant; hi autem omnes, aut nullo omnino aut certè perquam exiguo fructu ieiunant.

Cuiusmodi sint,
qui pharisaicè ieiunant.

PHARISAICÈ ieiunant, qui non ob id ieiunant, quò DEO placeant, aut pro contractis debitis eidem satisfaciant, aut carnem contra spiritum insurgentem comprimant, aut ad diuina capessenda & pertractanda aptiores se reddant, aut debitam Ecclesiæ eiusdemue magistratui obedientiam præstent: Sed quò pij religiosique hominis titulum vulgò obtineant, sanctimoniamque opinionem apud populares sibi comparent. De hoc hominum genere

genere CHRISTVS Dominus ita loquitur: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Quod si eiusmodi mercedem iam receperunt; non est ergo, ut vllam amplius à DEO in hac vel in altera vita expectent.* Matth. 6.

GVLOSI ieiunant, qui debitæ temperantiæ leges inter ieiunandum non seruant: Cuiusmodi sunt, qui pro status conditione vel corporis sui constitutione nimis opipara, vel nimis curiosa, vel nimis quoque pretiosa quæritant. Tum ij rursus, qui ieiunium soluturi nimis auidè vorant, aut in appositas escas nimis præcipitanter inuolant; vel tempora ieiunio soluendo præfinita non expectant; vel plus certè quàm par est anticipant. Tum ij denique, qui pransuri vel cœnaturi tantum simul ingerunt, quâ tum biduo digerere vix queunt, quos intemperantiæ Hieronymi sententia meritò condemnat: Qualis, scribit is, est illa refectio post ieiunium, cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum mediatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus proluxiori inedia famam quærere, tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Hæc ille in eos, qui diutius quàm necessum erat, ieiunia protendentes, postea immodicis escis sese ingurgitabant.

DOLOSI ieiunant, qui vino vel alio quouis potu ebrietatem ciere nato, ante vel post prandium ea copia studiosè vtuntur, ut esuriam fallant. Tum illi quoque, qui in vespertino aut matutino sacratissimo, Ecclesiæ indulgentia scientes volentesque abutuntur. Nam etsi illa per modum medicinæ, ne potus obsit, ante vel post cibum sumptum, exiguarum quarundam rerum vsum permittat, nullo tamen modo permittit luxuriosas cœnas, aut supernacaneas escarum ex quibuscunque rebus confectarum libationes. Falluntur enim grauitè, qui terræ vel arborum fructibus, aut dulciariis libis, aut alijs quibuscunque eiusmodi tragematis ieiunium solui posse negant. Verùm multò crassius hîc errant, qui, si nihil calidum vel coctum vesperi accipiant, probè se ieiunare existimant, quodcunque demum ex alijs, vel quantumcunque sumant. Tum ij denique, qui quodcunque alimenti genus in fraudem ieiunij vsurpant.

IMMODERATE & inordinatè simul ieiunant, qui ieiunio operam dantes, Christianæ prudentiæ & charitatis ordinem non

Quid sit, gulosè ieiunare, & quibus modis gulosè ieiunetur.

Lib. 2, contra Iouin.

Quid sit dolosè ieiunare, vel ieiunio fraudem facere.

Multis modis inter ieiunandū fraus committitur.

Qui cœsendi sine inordinatè ieiunare.

h 3 seruant:

seruant: quales sunt, qui ita ieiuniis se macerant, vt ad munia debita rite obeunda inutiles ineptosque se reddant; maximè verò, si studio id faciant, secùs si ob ingentem spiritus feruorem excessum non animaduertent. Spectant huc illi quoque, qui, vt indicta vel vltro suscepta ieiunia expleant, maioris pietatis vel necessitatis opera neglectui ducunt. Tum illi omnes, qui tam in seruando quàm in soluendo ieiunio, rationis medium transiliunt. Cuiusmodi inter ceteros sunt, qui post productum ad biduum vel triduum ieiunium ita cibo potuq; sese ingurgitant, vt molem gestare vix valeant. Contra totum hoc ieiunantium genus Hieronymus ita scribit: Non mediocriter errant, qui bono magno praeferunt mediocre bonum. Nonne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigiliis praeferat sensus integritati? Et infra: De rapina holocaustum offert, qui ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus suum immoderate affligit. Et eadem distinctione rursus: Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio saturitatem fugiens; nihil enim prodest biduo vel triduo transmissio vacuum portare ventrem, si post pariter obstruatur.

D. s. de conf. nō
mediocr.

Quid sit super-
stitiose ieiunare.

SVPERSTITIOSE ieiunant, qui prauo aliquo errore imbuti, modum ieiunandi ab Ecclesia praefinitum non seruant, aut quippiam tanquam necessarium ieiunio admiscunt, quod ad ieiunij rationem non spectat. Ad hunc locum pertinent, qui inter ieiunandum Iudaeorum, vel Sarracenorum, vel Mahometanorum ritibus magis, quàm Christianorum moribus sese accommodant; rati nimirum, se non ieiunare, si ante nocturnorum siderum exortum, ieiunium soluant. Tum illi rursus, qui esculenta ex iis vasis degustare non audent, in quibus carnes quandoque coctae fuerant, vel pisciculis tantum exanguibus vescendum putant. Ast multò maximè supersticiosos vel malitiosos verius hic se probant, qui violatae legis peccatum eiusmodi oratione nonnunquam excusant: Leporum, ceruorum, auium, ceterorumque delicatiorum animantium escas reprobamus, solis autem vulgaribus carnibus absque sale coctis vescimur. Quasi verò Ecclesia solas ferinas vel sale conditas carnes prohibuerit, & non reliquas omnes indiscriminatim? Demum illi quoque inter supersticiosos cenferi possunt, qui diebus lege vel consuetudine ab omni ieiunio

iuuio exemptis non ex pietate vel alia iusta causa, sed ex errore vel contemptu ieiunant.

HÆRETICÆ ieiunāt & illi ipsi in partem, de quibus iam egimus, & alij præterea omnes, qui Nouatianorum, vel Manichæorum, vel aliorum quorumlibet hæreticorum ritu vel mente ieiunant, vel tempora, quæ ipsi ex certo errore ieiuniis consecrarunt, anxie obseruant. Notum est illud Conc. Carthaginensis quartum: Qui die Dominico studiosè ieiunat, non habeatur Christianus. Et illud Conc. Gangrensis: Si quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam in die Dominico ieiunat, Anathema sit. Et illud Melchiadis Papæ: Ieiunium Dominici diei & quintæ ferriæ nemo celebrare debet, vt inter ieiunium Christianorum & Gentilium; veraciter credentium & hæreticorum vera & non falsa discretio habeatur. Et illud tandem Ignatij Martyris: Qui-
cunque Dominicam aut Sabbatum ieiunauerit, ipse est CHRISTI interfector. Hæc illi contra hæreticorum sui temporis ieiunia, quæ nunc, quod ad feriam quintam & sabbatum atinet, vt ipsæ quoque hæreses, propter quas eiusmodi leges editæ fuerant, iam olim in dissuetudinem abiuerunt. Hæreticæ quoque hac tempe-
state ieiunant, si tamen ieiunium hoc dici potest, qui inter ieiunandum nullum ciborum delectum, nullum dierum aut temporum discrimen, nullum denique cœnarum vel prandiorum numerum aut modum obseruant. Etenim diebus ieiunio consecratis comedunt, quoties volunt, & quantum volunt, & quod volūt, nullam aliam suæ præuaricationis causam adferentes, quàm homini Christiano libera esse omnia.

SATANICÆ tandem ieiunant, qui ieiuniorum legi ita parent, vt tamen nullum peccandi finem faciant; hoc autem Dæmonum esse proprium, nemo sapiens ignorat. Constat enim, nihil illis cum cibo vel potu commercij esse, neque tamen à praua peccandi voluntate vllò vnquam tempore desistere. Quòd autem ieiunium eorum, qui in vitiorum sordibus persistunt, omnique virtutum præsidio destituuntur, nullius apud DEVM sit momenti, roborisque planè perexigui, id apud eruditos & veteres Theologos dubitationem nullam habet omnino.

BERNARDVS: Si sola gula peccauit, sola quoque ieiunet, & sufficit: Si verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa?

Quales sint, qui hæreticè ieiunant.

Cano. 46.

Cano. 18.

Epist. ad Episc. Hispa.

Epist. ad Philip.

Qui hac ætate hæreticè ieiunent.

Qui Satanicè ieiunant dicendi sint.

Ser. 3. de Quadr.

Vt ieiunium Deo
fit gratum non
modo gula, sed
cetera omnia
membra à vitis
ieiunare debent.

ipsa, ieiunet ergo oculus à curiosis aspectibus, qui deprædatus est animam; ieiunet auris; ieiunet lingua; ieiunet manus; ieiunet anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus. Ieiunet lingua à detractatione & murmuratione. Ieiunet manus ab otiosis signis & operibus omnibus, quæ non sunt imperata. Sed & multo magis anima ipsa ieiunet à vitis, & propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc, cetera à Domino reprobantur. Sicut scriptum est: *Quia in diebus ieiuniorum voluntates vestrae iniuriuntur.*

Esa. 58.

D. 5. de con. Nihil.

FACIT huc quoque illud Pij Pont. Max: Nihil prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate, & ab obrectationibus lingua cohibeatur. Et illud Eusebij Emyzeni: Ieiunare & vigilare, & mores non corrigere, sic est, quomodo si aliquis extra vineam, aut circa vineam exstirpet & colat, vineam autem ipsam desertam atque incultam relinquat, ut spinas & tribulos germinet. Et illud Augustini: Quis ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare à cibus, ante omnia ieiunemus à vitis.

Hom. 2.

Hom. 1. de ieiun.

ET illud Basilij Magni: Verum ieiunium est, à vitis omnibus alienum esse. Solue omne vinculum iniquitatis, condona proximo; si quid dolet animo remitte illi debita. Nolite ad contentiones & lites ieiunare. Væ his, qui ebrij sunt non à vino. Ira mentis est temulentia, eamque à sobrietate excutit haud aliter, quam vinum. Et illud Athanasij: Qui ieiunio utitur, ordinis Angelici censendus est. Sed ne, mea dilecta, simplex quoddam ac promiscuum ieiunium putes. Non enim, qui à cibus abstinet solummodo, probè se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo.

Ira mentis est
temulentia.

Lib. de virg.

Hom. 1. de ieiun.

Quid sit sanctificare ieiunium.

ET illud B. Maximi: Quid aliud est sanctificare ieiunium, nisi ieiunij causa sancta velle, iusta facere, iniqua vitare? Et ideo, fratres charissimi, si volumus DEO placita exhibere ieiunia, simus in fide fortes, in iudiciis iusti, in amicitia fideles, in iniuriis patientes, in contentionibus moderati, refugientes turpiloquia, adversus iniqua constantes, in conuiujs sobrij, in voluptatibus continentibus, in charitate simplices, inter subdolos cauti. Si huiusmodi virtutibus nostra voluerimus sanctificare ieiunia, tribuente Domino

mino ad gaudia cœlestium promissionum indubitata fiducia & conscientia lætiore veniemus.

ET illud tandem Gregorij: (Superuacaneum enim censeo reliquos, qui sunt plurimi, huc adducere) Per Ioëlem dicitur sanctificare ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam DEO abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrænatur. Hæc Patres de ieiunio aliarum virtutum ornato destituto, & vitiorum sordibus contaminato. Multa eiusmodi in sacris literis passim occurrunt. Iudicabant quandoq; Iudæi non satis iuste secum agi, quòd nimirum ieiunarent, seque affligerent, neque votorum tamen compotes euaderent. Verùm de repulsa deque ieiunij illorum inefficacitate eiusmodi responsum tulerunt:

Ioël. 2.

In cassum carotereur, si à prauis voluptatibus animus non refrænatur.

ECC E in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitorum vestros repetitis; ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis & percussis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsq; ad hanc diem, vt in excelsis audiat clamor vester. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi? per diem affligere hominẽ animam suam? nunquid contorquere, quasi circulum, caput suum? & saccum & cinerem sternere? Nunquid hoc vocabis ieiunium & acceptabilem diem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, et omnes onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris &c. Patet hinc ergo, non omnia ieiunia esse fructuosa; & ratio rursus, cur non omnia sint talia, siue cur non omnes ieiunantes iis gratiis & beneficiis potiantur, quæ ieiuniis passim tribuuntur.

Esa. 58.

QVI ergo ieiuniorum suorum fructu frustrari non vult, non ieiunet is Pharisaicè, aut superbitiosè, aut dolosè, aut inordinatè, aut hæreticè, aut satanicè, aut alio quocunque modo vitiosè, sed piè, sanctè, religiosè, rationi denique & legi per omnia consentaneè. Nam quæcunque in Scripturis vel sanctorum Patrum monumentis de admirabilibus ieiuniorum viribus passim leguntur, ea omnia de ieiuniis castis & Christianis accipienda sunt, non de iis, quæ modò reiecimus. Verùm de ieiuniorum viribus & fructibus satis.

i

Non

*Non omne ieiunium esse liberum, tamen si per modum absoluti
præcepti nihil in nouo Testamento de illius
ratione cautum extet.*

CAPVT DVODECIMVM.

IEIUNIVM quatenus ad sanandos vel auertendos
prauos animi vel corporis morbos absolutè est ne-
cessarium, sub naturalis iuris præceptum cadit.
Non quòd cibum quouis tempore sumere, dum-
modò sobriè sumatur, secundùm se sit malum; aut quòd crebrius
interdiu comedere per se sit peccatum; aut quòd vllum omnino
alimèti genus iure naturali simpliciter sit prohibitum; sed quòd
res per se alioqui bona & salutaris, tum demum incipiat esse mala
& noxia, cum ex illius vsu certum aliquod animæ vel corpori
tium procreatur: Siquidè naturali equitate, omni quoq; humana
lege submota, ab iis omnibus abstinere obligamur, quæ corporis
vel animæ saluti aduersari certò dignoscuntur.

Iure naturali ab
iis omnibus ab-
stinere obliga-
mur, quæ animæ
vel corporis sa-
luti aduersari di-
gnoscuntur.

Quid inter hu-
manum & natu-
rale ius interce-
dat.

Ius naturæ secū-
dùm se absolu-
tè, bona vel ma-
la, iubet vel ve-
tat tantùm; ius
humanum ea etiã
iubet vel vetat,
quæ viã ad eius-
modi bona vel
mala aperiunt.

AT verò licet ius naturale peculiarem abstinentiam quan-
doque exigit; nullam tamen certam peculiaris huius abstinen-
tiæ siue ieiunij rationem aut modum præfinit: præfinit autè pro-
que locorum ac temporum qualitate determinat isthæc ius hu-
manum. Intercedit autem inter iura hæc eorundemque præce-
pta non parum. Etenim ius naturale ea tantùm vetat, quæ secun-
dùm se simpliciter, aut certè ex aliqua loci aut temporis circum-
stantia sunt mala, animæue vel corpori noxia. Ea rursus solùm idè
ius iubet, quæ natura sua sunt honesta, nec nõ ad tuendam vel cõ-
seruandam animæ corporisue salutè vtilia vel necessaria. Ius autè
humanum non est contentum ea solùm vetare, quæ apertè sunt ma-
la, vel ea tantùm mandare, quæ absolutè sunt bona vel necessaria;
sed porrò progressum ea interdum quoq; iubet, quæ viam ad ea
muniunt, quæ per se bona & honesta censentur; & ea rursus nõ-
nunquã vetat, quæ ansam ad ea perpetranda subministrant, quæ per
se mala vel inhonesta putantur; exempli causa: Ius naturale cauet,
ne quis in fontem lædat aut occidat; Ius autem humanum, vbi id
necessarium iudicat, ne quis arma, quibus alterum occultè vel
manifestò offendere possit, deponet, seuerè inhibet.

Ius naturale rursum quædam tantùm communia dicitur & docet, Ius autem positivum generalia illa communiaque naturalis iuris decreta ad vitæ humanæ praxim, particularesque vivendi rationes & canones deducit. Exemplo rem declaro. Ius naturale fures, adulteros, sicarios, cæterosque eiusmodi, quod sint homines improbi, Christianæque Reipub. perniciosi, pœna coercendos dicitur. Verùm quod fur sit fustigandus, aut ad metallam dammandus, vel in crucem agendus, quod adulter vel sicarius capite mulctandus, vel alio eiusmodi supplicio afficiendus, id ius naturæ non docet, neque determinat, determinat autem id prudentia vel lex humana; Verumtamen determinationis huius modus dependet ex communi illo iuris naturalis principio; mali sunt puniendi. Nunquam enim furem suspendere, aut fustigare liceret, si ius naturæ improbos in improbitate deprehensos impunè dimittendos doceret. Idem statuatur de reliquis omnibus humanis legibus; tota enim illarum vis pendet ex iure naturali. Quod si qua est, quæ æquitati naturali aduersatur, ea non est lex, sed legis corruptio. Ius denique humanum, quod circa particularia resque sua natura indifferentes & mutabiles plurimum occupetur, est mutabile: Ius autem naturæ, propter causas paulò antè assignatas est immutabile.

Ad rem propositam; cum animæ vel corporis salus id deponit, ieiunio vel abstinentiæ vacandum esse, istud dicitur ius naturæ in genere; At verò quo modo, quæque ratione, aut quo tempore fieri id debeat, illud determinandum relinquitur prudentiæ humanæ. Igitur ut ieiunia sunt quædam alexipharmaca ad hominis salutem simpliciter necessaria, ius naturæ illa à nobis exigit; ut autem per humanam prudentiam ad hunc vel illum abstinentiæ modum sunt determinata, non absoluta rei necessitas, aut naturalis iuris æquitas ea à nobis efflagitat, sed tantùm maiorum auctoritas, quacunque tandem de causa illa efflagitet; nam istud ad legis vinculum est quodammodo impertinens. Nam etsi scopus, quem legislator sibi proponit, præcepti sit ratio, legisque quadantenus anima, non tamen cadit in præceptum, sed tantùm opus, quod ad eiusmodi finem vel scopum ordinatur.

Ius naturæ generalia tantùm dicitur & docet, ius autem humanum generalia iuris naturalis præcepta vel dictamina ad particulares canones & leges deducit.

Fundamentum & praxis iuris humani est ius naturæ.

Ius humanum mutabile, naturale autem est immutabile.

Ieiunia ut ad hominis salutem sunt necessaria, exigit ius naturæ; ut verò ad hunc vel illum abstinentiæ modum sunt determinata, non naturæ necessitas, sed maiorum auctoritas exigit illa à nobis.

Quomodo & quando iure naturali abstinere à quibusdā, vel ieiunare obligemur.

PORRO autem quòd omni humana lege & constitutione & medio sublata, sola naturalis iuris vi interdū obligemur ieiunare, hoc est, à quibusdā per se alioqui licitis abstinere, vel parcius, quàm communis abstinentiæ ratio postulat, cibum sumere, illud probare non admodum fuerit difficile. Constat enim, dum pleuritide laboro, aut ardenti febris æstuo, eodem illo iure & vinculo me à potenti vino, cæterisque omnibus insigniter inflammantibus, secundum periti medici præscriptum, vel rectæ rationis iudicium abstinere obstringi, quo obstringor vitā tueri, vel me ipsum non occidere. Ad utrumque autem iure naturali obstringor, Quare iure illo salvo, oppositum velle, aut facere ne utiquam valeo.

Iure naturali ab iis omnibus abstinere obligemur, quæ obstant animæ: & quidē multo magis quàm ab iis, quæ obstant corpori.

Matth. 17.

Omnia quæ in vitæ humanæ usum veniunt, iure naturali tantisper sunt permittenda, dum corpori vel animo non officiant.

Duplex naturæ adiaphorum.

IAM si iure naturali à noxiis escis abstinere teneor, ut corpus valeat, aut ne graue aliquod detrimentum accipiat, quantum magis eodem illo naturalis iuris vinculo adactus, ab eiusmodi escis abstinere obligabor, si ea fortè spiritali febris incensus ardeam, vel ea interna animi peste laborem, aut eo Dæmone obsessus teneor, quem absque ieiuniorum, vel abstinentiæ præsidio extinguere, aut ex animæ regno exturbare nullo modo queam? At potest nonnunquam id nobis usu venire, cum quandoque non minus ægrè habeamus, neque minus quoque periculosè laboremus, quàm Euangelicus ille, qui CHRISTO attestante, citra ieiuniorum medicinam curari non poterat. Sunt ergo ea omnia, quæ in vitæ humanæ usum veniunt, iure naturali permittenda; at illud non semper, neque simpliciter, sed hætenus tantum, quantum corporis vel animæ salutem non officiant: Vbi autem alterutri parti insigniter obesse incipiunt, mox adiaphora esse desinunt.

DICES forsan, quod secundum se liberum vel indifferens est, id semper eiusmodi est, adeoquæ iure naturali præceptum non est; sed ieiunia secundum se sunt libera, aliàs omnes promiscuè obligarent. Ad hoc dici potest, naturali iure quippiam bifariam liberum esse, vel, quod in idem redit, duplex naturæ adiaphorū in rebus natura extare: Vnum, quod neque secundum se, neque secundum operis modum ad hominis salutem est necessarium, Quomodo perpetua virginitas, volūtaria paupertas, professio monastica, & alia quædam eiusmodi sunt libera. Ius enim naturale secundum se, nulli

nulli indicit cœlibatum, nulli spontaneam facultatum ἀποταλῶ, nulli propriæ voluntatis ad alterius arbitrium abdicationem. Alterum, quod secundum se quidem facit ad hominis salutem, non tamen semper, neque secundum operis modum, vel qualitatem; & hoc modo ieiunium, quatenus ad animæ vel corporis salutem est necessarium, non est simpliciter liberum; sed cadit in præceptum; veruntamē quò ad modum secundum hoc ius manet semper liberum. Ius enim naturale non præfinit aliquem certum ieiunandi, vel abstinendi modum; sed ipsum tantum secundum se ieiunium, vel abstinentiam.

QUAMOBREM cum Niniuitæ certam ex Ionæ prædictione pestem, nisi tempestiuè respicerent, sibi imminere intellexissent, rationis ministerio ducti, omnibus cum hominibus, tum iumentis quoque ieiunium indixerunt, saccoque induti & cinere conspersi totos se ad pœnitentiam composuerunt. Quamuis hæc omnia non absque peculiari quadam diuini spiritus synergia. Natura enim per se solam non docet, aut certè disertè docet, offensum numen operibus nostris placari. Idem alios gentium & nationum populos fecisse comperimus, quotiescunque impendentem aliquam cladem propulsare, aut singulare aliquod beneficium à DEO impetrare voluissent; & id quidem eò feruentius, quò maiorem fidei lucem DEI quæ cognitionem hausserant. Quare qui prope Iudæam agebant, religiosius in eiusmodi pietatis officii se exercebant, quàm qui procul à Palæstina positi.

At verò nationes & populi illi, qui ἰδωλολατρίαν seu idololatriæ errore occæcati, veram DEI iustitiam ignorabant, singularem quæ eiusdem de rebus omnibus curam & prouidentiam non satis perspectam habebant, vel omnino etiam negabant, vt reliqua virtutum studia pro nihilo ducebant; ita ieiunia quoque cæteraque, quæ ad gulam & carnis voluptatem minùs faciebant, veluti ingratam stomacho escam, aut amara catapotia palàm auersabantur; tantum quæ aberat, vt libidinis ardorem carnis afflictione extinguere satagerent, vt vltro quoque ad omne libidinum & obscœnitatum genus sese dimitterent. Decantabant sanè illorum vates Stygias paludes, Syfiphi labores, Tantali sitim, aliâque id genus inferorum tormenta; sed hæc omnia, qui sapientes apud illos habebantur, vt mera fragmenta publicè deridebant: rudes verò, quòd fabu-

Ieiunium iure naturali secundum se nõ semper est liberum, secundum modum autem eo iure semper est liberum.

Gentes natura duce sepe à multis abstinabant, quæ secundum se libera erant.

Vt cætera virtutum studia apud paganos locum nõ habebant, ita voluitaria quoque ieiunia apud illos iacebant.

larum inuolucris tecta proponerentur, quorsum attinerent, non intelligebant; aut si qui inter illos erant, qui de alterius vitæ suppliciis aliquid compertum habebant; nesciebant tamen, per voluntaria ieiunia, aliosque corporis cruciatus sponte in hac vita susceptos redimi posse. Quare plerique omnes absque vlla penitentia in conceptis semel erroribus perpetratisque flagitiis, ad finem vsque vitæ persistebant.

Probabile fit patres, qui legem antecesserunt, suas habuisse ferias & ieiunationes.

AD Patriarchas autem ceterosque sanctos, qui Moyse legem antecesserunt, quod spectat, quod iustitia, pietate, sobrietate, omnique alio virtutum genere excellere, dubium nullum est, quin omnia illa ieiunia, quæ lex naturalis ab illis exigebat, magna cum religione & diligentia explerent. Imò verò valde credibile fit, ut suas illi habebant statas preces & sacrificiones, ita suas quoque habuisse ordinarias ferias & ieiunationes. Nam etsi sacræ literæ nusquam illud disertè affirmant, nusquam tamen quoque disertè negant. Imò aliquid eiusmodi isthic extitisse alicubi insinuant: Quandoquidem Moyses, qui primus apud Iudæos legem scripto promulgauit, de ieiunio votiuo perinde ac de re iam tum nota, vulgòque vsurpata scribit & loquitur; ait enim: *Si qua mulier vouerit, & iuramento se constrinxerit, ut per ieiunium, aut ceterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* Spectant ad futurum hæc sanè, nihilominus sanctionis huius occasio ex antecedentium temporum vsu & consuetudine petita est; sensus enim est, si qua mulier in posterum vouerit.

Numer. 30.

Apud Iudæos duplex ieiuniorum genus obtinebat: vni diuino præcepto, alterum maiorum traditione constans.

APUD Iudæos porrò post legem iam latam & promulgatam duplex ieiuniorum genus obtinebat: alterum diuinitus præceptum, quod erat omnibus ieiunare valentibus commune: alterum per traditiones à maioribus acceptum: quod Scribis & Phariseis, ceterisque religiosioribus erat proprium. De priori verbum DEI ita cauebat: *Decimo die mensis septimi affligetis animas vestras, & offeretis holocaustum Domino. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die illa, peribit de populis suis.* De posteriori apud Matthæum hæc tradita extant: *Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Hoc de expiationis ieiunio accipi nequaquam potest; erat enim capitale, si quis illud violasset. Accipiendum est ergo de ieiunio traditionario, quod homo plebeius citra noxam prætermittere poterat.

Leuit. 16. 23.

Matth. 9.
Marci 2.

IEIUNIO

IEIUNIO expiatorio, si legis vim spectes, cognatum erat ieiunium mensis quarti, quinti, septimi, & decimi: tum cætera omnia, quæ veteri illi populo propter necessitatem vel vrgentem aliquam causam ex tempore iniungebatur. Nam & Saul vniuerso exercitui sub mortis interminatione diuinum ieiunium indixit, & Ester Regina Iudæis, qui in ciuitate Susan versabantur, triduanam ab omni cibo & potu abstinentiam per Mardocheum demandauit, & Eliachim Sacerdos omnes tantisper ieiunare voluit, dum auxilium ex alto veniret, & alij item alios. Erant autem omnia illa ieiunia maiori ex parte temporaria, & certa quadam ratione priuata, quæ proinde hoc tempore neminem omnino ad sui obseruationem obligant.

Zachar. 8.

1. Reg. 14.

Ester. 4.

Iudith. 4.

AT verò licet veterum Iudæorum & recentium Christianorum ieiunia, quo ad vinculum & modum & numerum & tempus, & alia quædam eiusmodi non consentiunt, in aliis tamen plerisque inter se conspirant. Nam vt Catholicæ Ecclesiæ filij ieiunant, quò cæleste numen ob peccata nostra offensum placent, eidemque in partem satisfaciunt; aut vt spiritale vel temporale aliquod beneficium ab illo impetrent, ita vetus quoque Iudæorum populus. Neque enim aliò spectabat acris illa Ioëlis Prophetæ exhortatio: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*, quàm ad pœnitentiam. Nec alia rursus de causa ieiunabat Achab, Dauid, Ester, Iudæi, qui in Bethulia & Susan ciuitate agebant, quàm vt iratum DEVM sibi propitium redderent. Nec aliò tandem expiationis ieiunia, quæ decimo mensis septimi die magna totius populi religione celebrabatur, tendebant, quàm ad peccatorum expiationem, mentisque cum DEO coniunctionem.

In quibus Iudæorum & Christianorum ieiunia conueniant, in quibus item à se inuicem discrepent.

3. Reg. 21.

Ester 4.

Iudith. 4.

Leuit. 23.

1. Reg. vii.

2. Reg. 1. 3.

Iudæi defunctorum causa ieiunio se affligebat.

Cap. animæ 13.

q. 2.

R V R S V M vt familiare erat Iudæis defunctorum gratia ieiunio se affligere; ita iis quoque id legitimum est, qui CHRISTO nomina dederunt. Animæ defunctorum, scribit GREGORIUS, quatuor modis soluuntur; aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Similia comperies apud alios veteres Theologos,

DENI-

DENIQUE vt Iudæi dies illos, quibus insignes calamitates aut clades populo acciderant, anniuersario luctu & ieiunio recolébāt; (Huc enim, vt suprâ ex B. Hieronymi & veterum Iudæorum sententia expositum est, pertinebat ieiunium quarti, quinti, septimi & decimi mensis) ita pij quoq; Christiani indignam Creatoris & Saluatoris sui necem, anniuersario ieiunio & luctu celebrare assolent. Nam etsi sacra illa paschalis hebdomada quadragesimalis ieiunij pars sit, attamē quod dolorem, quem de Redemptoris **CHRISTI** cruciatibus capiunt, testatiorem faciant, omnia pietatis officia & afflictionum genera per id tempus augere student. Quæ hucusque allata sunt, ea dilucidè ostendunt, & ante & post latam quoque Moyse legem non omnia ieiunia fuisse libera, id quod ea quoque validè confirmant, quæ suprâ de ciborum delectu disputata sunt. Constat enim, eiusmodi delectum aliud ferè nihil esse, quàm quoddam parziale ieiunium.

AD Euangelium autem & nouum Testamentum quod attinet, etsi illud ieiunium in genere commendet, modumque nonnullum salubriter ieiunaturis præfiniat, & religiosè ieiunantibus præmia promittat, & vsum ieiunij post sublatū sponsum futurum denunciet, & **CHRISTI** tandem ieiunantis exemplum ob oculos nobis proponat; attamen de ritu ieiunandi, deq; tribus partibus illis, quæ ieiunium in Ecclesia receptum & iam inde ab Apostolorum ætate in eadem vsitatum intrinsecè absoluunt, nihil per modum præcepti, aut legalis statuti cauet. Nusquam enim præcipit, vt ab hoc vel ab illo ciborum genere, isto vel illo tempore abstineas, nusquam vt semel tantum hoc vel illo die cibum sumas, nusquam ne ante nonam vel vesperam comedas; atqui, vt antè explicatum est, tota ieiunij nobis noti & hætenus in Ecclesia vsurpati vis & ratio in his est posita; de ieiuniorum numero & tempore par est ratio. Nusquam enim, in Euangelio præceptum extat, vt quadraginta dierum ieiunia continues, nusquam, vt tertio quoquo mense sabbato & profabbato & feria quarta ieiunes, nusquā, vt solemnibus natalium **CHRISTI**, Ioannis Baptiste, assumptæ ad cælos Virginis matris, omnium Sanctorū, &c. feriis ieiunia præmittas.

QUOD dicimus, ex Testamento, quod appellatur nouum, si quidò patet. Etenim quæ de ieiunio hic traduntur, eiusmodi sunt
fecer

Christiani dominicę passionis memoriam ieiunio & luctu celebrant.

Ciborum delectus quoddam parziale ieiunium.

Euangelium de partibus, quæ ieiunij absoluunt, nihil præfiniit.

ferè: Cùm ieiunasset IESVS 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit. Item: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes & c. Item: Hoc genus demoniorum non eicitur nisi in ieiunio & oratione. Item: Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, tui autem discipuli non ieiunant. Item: Auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt. Item: Anna non recedebat de templo ieiunio & obsecrationibus seruiens nocte & die. Item: Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus; Segregate mihi Saulum & Barnabam. Item: Exhibeamus nosmetipsos in vigiliis multis, in fame, in siti in ieiuniis & c. Hæc sunt præcipua, quæ noui Testamenti Scripturæ de ieiunio produnt, quorum alia ieiuniorum vim & fructum; alia CHRISTI Domini nostri & aliorum quorundam factum; alia salubre Apostoli Pauli consilium; alia tandem Phariseorum & sectatorum Ioannis contra CHRISTVM eiusdemque discipulos murmur exponunt. Nihil autem ex iis omnibus absoluti alicuius præcepti speciem præ se fert.

SED & dato quoque, CHRISTVM Dominum quadragesimale ieiunium (de eo namque præcipua est controuersia) non verbo, sed factò vel exemplo instituisse & consecrasse, adhuc qui illud iuris diuini esse volunt, causam non obtinerent. Quandoquidem non omne, quod CHRISTVS in se consecrauit vel instituit, legis vim obtinet, aut omnes statim ad sui obseruationem ligat. Nam & ordinis & matrimonij Sacramentum instituit, & tamen nemo absolutè tenetur maritus fieri, vel sacerdotio initiari. Sic idem quoque perpetuam castitatem, voluntariamque paupertatem in se consecrauit, & vtramque verbo simul & exemplo consuluit, & tamen nullus ob hoc exemplum vel consilium, omnibus abdicatis in voluntaria paupertate, aut in perpetua castitate vitam traducere obstringitur.

ADDE, si solum & nudum CHRISTI exemplum illam vim haberet, necessarium fore, ut post susceptum Baptismum ad desertum aliquem locum secederemus, ibidemque totum quadragesimæ dierum spacium vel omnino nullo, vel certè perquam exiguo cibo vitam toleraremus. At nemo compertus est, qui Christianum hominem ad hoc obligatum doceret. Denique si Quadragesimæ vel aliud quodcunque ieiunium in Catholica Ecclesia vsitatum esset iuris diuini strictè & propriè (cuiusmodi vti que foret, si à CHRISTO absolutè esset præceptum), nulla in ipsum

Non omnia, que
Christo fecit, aut
instituit, obligat
omnes.

Ecclesia in præceptis, quæ sunt iuris diuini, strictè & propriè non dispensat, neque iure dispensare potest.

caderet dispensatio, nulla in iis, quæ ad substantiam illius pertinent, mutatio. Ecclesia enim in præceptis simpliciter diuinis non dispensat, nec dispensare potest. Atqui nihil omnino extat intrinsecam Ecclesiastici ieiunij rationem absoluens, quod iam dudum antè aliquatenus non sit mutatum & antiquatum, vel certè quod summi Hierarchæ auctoritate, si publica vtilitas, aut magna aliqua causa id postularret, mutari vel antiquari non posset.

Ratio præcepti late patet.

Quo sensu Christus ieiunium dicitur instituisse, vel præcepisse. Lucæ 10. Matth. 18.

At fateor interim nonnullos ex Patribus asserere, Quadragesimam continere diuinam institutionem: Alios ieiunium in nouo Testamento extare præceptum; verùm illi CHRISTI exemplum per carachresin præceptum appellant. Dicit enim solet, omnem CHRISTI actionem nostram esse instructionem. Addo aliud esse, hoc vel illud vero propriòque præcepto inditum esse, aliud improprio, hoc est, monitorio vel consultorio; Aliud rursus hoc per hunc vel illum immediatè iussum vel institutum esse, aliud, mediatè; Aliud item ieiunium absolutè sumptum diuinitus præceptum esse; aliud hoc vel illud ieiunium diuinitus præceptum esse; Aliud tandem concionatorem agere, aliud definitorem. Ad rem propositam licet CHRISTVS ieiunium quadragesimale per se proximè non instituit, neque præcepit, instituit tamen & præcepit mediatè; Scriptum est enim: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Rursum: *Qui Ecclesiam non audit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Sic quoque licet idem ieiunium absoluto præcepto non indixit, nec eo etiam modo consuluit, quo voluntariam paupertatem, aut perpetuam castitatem; (sunt enim hæc opera secundùm se magnæ perfectionis, illustrisquæ charitatis) hæc tamen instituisse vel præcepisse dici potest, quatenus rite ieiunantibus certam mercedem promittendo, eiusdemque vim & energiam in profligandis dæmonibus prædicando, & aliquam præfinitendo, & usum tandem illius post suam consummationem prædicando iustam Ecclesiæ occasionem obtulit, vt illa iis omnibus per modum absoluti præcepti illud indiceret, qui legitimum impedimentum nullum haberent. Quamuis ergo CHRIS-

37VS Dominus nullum per se peculiare ieiunium simpliciter præcepit, aut indixit, indicendum tamen familiariterque vsurpandum prædixit, & vt indiceretur, legitimam occasionem Apostolis eorundemque successoribus præbuit.

SED neque decebat quoque, neque saluti nostræ conueniebat, vt ipse per se ieiunium Quadragesimæ, vel aliud quodcunque indiceret, aut per modum absoluti præcepti proponeret. Nam præterquam quod is generalia tantum & ad salutem omnino necessaria indiciturus & præcepturus in mundum venerat, maiorem quoque in modum præcepto hoc hominum conscientias, imò verò Ecclesiam ipsam intricasset. Quando quidem cum absoluta CHRISTI præcepta sint communia, omnesque promiscuè obligent, neque omnes tamen citra apertam valetudinis offensionem ieiunare queant, Ecclesia eos, qui ex imbecillitate vel aliqua alia causa ieiunium omisissent, neque à noxa liberos, neque legis rursus reos pronunciare ausa fuisset.

NEQUE omnis statim difficultas sublata fuisset, si non omnibus absolutè, sed omnibus, qui commodè possent, ieiunium indixisset. Nam & noua fuisset hæc forma, neque parum præterea arduum, quid commodè quisque valeret, vna communi lege vel regula definire; relinquere autem rem totam vniuscuiusque conscientia, aliud nihil erat, quàm multis & magnis erratis & peccatis magnam fenestram patefacere: Sunt enim, qui conscientias habent nimis angustas; alij contra, qui nimis laxas, præfertim in iis, quæ gulæ & ventri suauia sunt; alij qui perplexas vel dubias; alij qui alio modo affectas. Quare nullo modo conueniebat, vt CHRISTVS per se aliqua peculiaria, hoc est, suis legibus & circumstantiis definita ieiunia absolutè indiceret; Abunde autem sat erat, si Ecclesiæ iustam indicendi causam subministraret. Patet ergo, quid iis responderi debeat, qui diuinum præceptum, vel diuinam institutionem ex Ambros. vel August. vel alio quocunque vrgere solent.

AT opponent hîc fortè scrupulosi nonnulli & dicent, doctrina hæc tametsi vera, gulæ ventrique deditis, tum ceteris

Christus nullum ieiunium indicit aut præcepit, dedit tamen occasionem & auctoritatem, vt indiceretur & præciperetur.

Nulla modo conueniebat, neque saluti nostræ expediebat, vt Christus quodcunque ieiunium per modum præcepti induceret.

Quod varix sint conscientia, tutum non esse rem aliquam ardua vniuscuiusque conscientia relinquere.

quoque, qui erga Ecclesiam eiusdemque sanctiones minus bene affecti sunt, ostiū pateferi ansamque offerri, ut recepta ieiunia facilius negligant, vel licentiosius contemnant. Verum hi paucis responsum habeant, oppositum omnino hinc sequi. Quandoquidem dicere quadragesimale, vel aliud quodcunque ieiunium in Euangelio absolute præceptum extare, vel omnem, qua pollet, vim ex iure diuino mutuare, aliud nihil est, quam omne robur ipsi adimere. Probatum est enim, nullam ex tribus illis partibus, quæ Ecclesiasticum ieiunium absoluunt, in toto nouo Testamento ostendi posse, quæ per modum absoluti præcepti fidelibus demandata sit. Imò verò qui Quadragesimam iuris diuini esse contendunt, trifariam peccant. Primo enim id probandum suscipiunt, quod validè probare nullo modo possunt; atque ita & se ipsos & religionis nostræ sacramenta aduersariis deridenda proponunt. Deinde hoc ipso, quòd quadragesimale vel aliud quoduis ieiunium in Ecclesia DEI vsitatum iuris diuini, vel absoluto præcepto à CHRISTO indictum esse defendere nituntur, haud obscure innuunt, si iuris diuini non esset, in interno DEI foro obligatorium non fore; quod, ut proximis capitibus ex instituto ostendetur, est falsum, & à vera orthodoxaque Ecclesiæ doctrina prorsus alienum. Postremò suo hoc priuato iudicio, grauissimo Ecclesiæ iudicio sese opponunt: Constat enim, Catholicos omnes ieiunium Quadragesimæ, cæteraque omnia ieiunia apud Christianos obseruari solita, non inter diuina, sed inter Ecclesiæ præcepta censere. Vanus proinde omnisque fundamenti expers illorum est timor, qui per hanc doctrinam, quæ planissima & apud eruditos receptissima est, ventris mancipiis, aut aliis quibuscunque Ecclesiæ hostibus præuaricandæ Ecclesiasticæ legis ansam subministrari queritantur.

Qui dicunt ieiunium omnē vim, qua pollet, ex iure diuino habere, omne robur illi adimunt. Trifariam peccat, qui Quadragesimā iuris diuini esse contendunt.

Ex Scripturis & Patribus euidentis esse, non ea solum legis vim obtinere, adeoque in foro conscientia obligare, quæ DEVS per seipsum proximè decernit, aut præcipit: Verum ea etiam, quæ per legitimos Ecclesiæ, vel Reipub. Magistratus iniungit.

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

VERVM enimvero licet CHRISTVS Dominus Quadragesima ieiunium per se non indixerit, neq; aliud vllum in Ecclesia vsitatum per se absolute præceperit; sed quicquid legitimorum ieiuniorum extat, hoc totum ab Apostolis eorundemque successoribus ad nos defluerit: non ideo tamen ieiunare vel non ieiunare Christiano populo liberum reliquit. Quandoquidem is non solum diuinæ legis decreta ad sui obseruationem obligare vult, semperque voluit, sed iusta quoque maiorum præcepta.

ET quamuis hoc apud sapientes, sensuque & mente Catholica præditos dubitationem grauem nullam habeat: attamen quod plerique omnes, qui hac ætate ab Ecclesiæ castris, ad Satanæ regnum deficiuerunt, impudenter id negent, & inter orthodoxos quoque comperti sint nonnulli quandoq; qui ea de re non satis orthodoxè sentirent, & ea tandem, quæ de ieiuniorum Ecclesiasticorum vinculo paulò post dicturi sumus, hoc fundamèto destituta, infirmis admodum radicibus nixa subsisterent: (Nam si communia Ecclesiæ ieiunia secundum omnem partem sunt iuris humani, & ius illud, desit modò contemptus, citra noxam violetur, necessariò consequitur, qui Ecclesiæ ieiunia, vel alia quæcunque eiusdem præcepta citra contemptum præuaricantur, eos nulli culpæ affines fieri) Cogimur certa quadam ratione de legum humanarum vinculo perinde differere ac de re non satis comperta. Non diffiteor seorsim de hac controuersia disputationem institui potuisse; attamen quia iusta hinc se offert occasio, quæ alibi fortassis deerit, & quotquot ferè de ieiunio ex instituto disceptant, in vtramque partem quæstionem hanc versare solent, nolui illam in alium locum reiicere, aut omnino intactam relinquere; sed neque velle quoque debui, vt æqui censors facillè intelligunt. Vtar nihilominus compendio, ne ab instituta disputatione procul recedam.

QVOD si igitur, qui humanas leges, siue illæ politicæ fuerint, siue Ecclesiasticæ, temerè violant, tanquam qui DEVM ipsum in suis ministris & vicariis cõtemnant, culpæ obnoxij fiant, id sacræ literæ sacrique eorundem interpretes verbis vsque adedò planis &

k 3

difer-

Noui Testamēti ieiunia omnia ab Apostolis, vel illorum successoribus ad nos defluerunt.

Variè erratur circa humanarum legum vinculum.

Qua occasione de legum humanarum vinculo disputetur.

Peccato affines fieri, qui humanas leges temerè præuaricantur. Scripturæ & Patres passim affirmant.

disertis passim asseuerant, vt mirum videri queat, vllos vnquam in Scripturis vel Patrum monumentis aliquatenus versatos cōpertos esse, qui istud inficiari, aut in dubium vocare auderent. Scripturæ, quæ ea de re definiunt, sunt multæ, nos ex multis pauca tantum in hunc locum adferemus. Scriptum extat ergo:

Deut. 17.

Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore administrat Domino DEO tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferet

Deut. 21.

malum de Israël. Rursum: Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad

Capitale apud Iudæos sacerdotibus, parentibus, cæterisque maioribus non obedire.

portam iudicis, dicentq; ad eos: Filius iste noster rebellis & contumax est, monita nostra audire contemnit, comestationibus vacat atq; luxurie, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israël audiens pertimescat.

Item:

Iosue 1,

SICVT obediimus in cunctis Moyse, ita obediemus & tibi, qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus, quos praeceperit ei, moriatur. Hic iam Antagonistas interrogo, æquene studiosè

Lex noua maiore deposcit obedientiam & perfectionem, quàm lex vetus.

CHRISTI religionem professi summo Pontifici, cæterisque Ecclesiæ Prælati, vel Reipublicæ magistratibus obedire teneantur, ac Israël Iosue, aut filius parenti, aut Hebræorum populus legali sacerdoti? Planissimè; constat enim quòd lex gratiæ perfectior est Moyse lege, eò exactiorem obedientiam maioremque in omni virtutum genere perfectionem deposcere. Quæro rursum pœnane illa, quæ contumaci populo, vel filio apud veteres irrogabatur, iusta fuerit an iniusta? non iniusta, quia à DEO definita: quicquid enim DEVS decernit, hoc iustum & sanctum est. Si autem iusta & sancta erat, vt reuera erat, ergo contumaces illi grauissimum facinus designauerant: Quandoquidem ob leuem noxam nullus capitali supplicio iuste affici potest; multò verò minùs omnis noxæ expers. Sed ad alia sacrarum literarum testimonia.

Ob leuem noxam nulli mortē inferre licet.

Matth. 18.

SI te non audierit, inquit vitæ nostræ dux, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Et quibusdam interiectis:

Matth. 19.

Super cathedram Moyse sederunt Scribae & Pharisei omnia, quæcumque dixerint vobis, facite: secundum opera autem illorum non facite.

hic facere. Item: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm ciuitati illi.* Rursum: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. 10.

Hic cognatum est illud primi Regum octauo: *Audi vocem populi tui in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad hanc diem: Sicut dereliquerunt me, & seruiuerunt Diis alienis: sic faciunt etiam tibi.* Et illud rursum Moyfi: *Audiui murmur vestrum contra Dominum, nos verò quid sumus, quia misistis contra nos?* 1. Reg. 8. Exod. 16.

Dabit vobis Dominus vesperi carnes edere, & manè panes in saturitate, et quod audierit murmuraciones vestras, quibus murmurastis contra eum. Nos verò quid sumus, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Qui contra superiores murmurat, vel eos spernit, contra Deum murmurat eundemq; spernit.

Hic denuò ab aduersario peto; paganine & publicani, Sodomitæ rursum & Gomorrhæi inter primæ notæ peccatores habendi sunt? Non negabit, certò scio; atqui Dominus eos, qui Ecclesiæ vocem non audiunt, paganorum & publicanorum loco haberi vult: Sodomitarum verò illos, qui Apostolos vel eorum sermones non recipiunt. Constat autem, quicquid Ecclesia vel eiusdem proceres mandant vel ordinant, hoc totum ad humanum ius pertinere. Nam si quid ex Euangelio vel euidenti & necessaria consecutione ex Euangelij lege deductum proponunt, hoc ipsi non mandant, sed à CHRISTO mandatum, tantum promulgant. Pari ratione quæri ab Antagonistis potest, grauène periculum sit CHRISTVM vel patrem eius spernere, DEVM Opt. Max. abiicere, vel spontè deferere, vel superbe contra eundem murmurare? concedent omnino; At qui contra Aaronem aut Moysen murmurant, aut Samuelem repudiant, aut Apostolos aspernantur, DEVM vel CHRISTVM ipsum spernere vel abiicere, vel contra eundem murmurare locis iam citatis perhibentur. Ecclesia autem habet semperque habitura est suos Moyses & Aarones, hoc est, suos legislatores & sacerdotes, suosque Apostolos & Samueles.

Sodomitæ & Gomorrhæi inter primæ notæ peccatores.

Quicquid Ecclesia mandat vel ordinat, totum hoc ad ius humanum spectat.

Ecclesia semper habet suos Moyses, suosque Aarones, hoc est, suos legislatores & sacerdotes.

PRAECLA-

- Ad Rom. 13.** *PRAECLARVM* veritati huic testimonium præbet illud Pauli: *Omnia potestates sublimioribus subdita sunt: Non enim est potestas nisi à DEO, quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali, hoc est, non bene agentibus, sed malè. Et illud rursus eiusdem: Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Et illud tandem Apostoli Petri: Subiecti estote omni humanae creaturæ propter DEVM: Sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum; laudem verò honorum: Quia sic est voluntas DEI &c.* His nihil scribi potest clarius. Disertè namque pronunciat, certam damnationem eos sibi asciscere, qui humane potestati resistunt. Illos autem potestati huic resistere, qui iustis eiusdem decretis & legibus parere recusant, id nemo dubitat. Quòd verò damnatio peccatum, illudque minimè vulgare ponat, apud sapientes ancipitem sententiam non habet. Mittimus alia, quòd vni quoque aut alteri ex vetustioribus Patribus in veritatis huius assertionem & confirmationem locus suus constet.
- Ep. ad Magnes.** *IGNATIUS:* Dignum est & vos obedire Episcopo vestro & in nullo ei contradicere: Terribile est enim contradicere: Non enim istum visibilem quis spernit, sed illum invisibilem in eo contemnit, qui non potest à quoquam contemni. Hic enim non ab homine, sed à DEO habet promotionem. Dicit enim DEVS Samueli de contemptoribus eius: Non te spreuerunt, sed me. Nam & Moyses populo aduersum se murmuranti ait: Non enim aduersus me murmuratis, sed aduersus Dominum Deum. Nemo enim inultus mansit, qui se contra potentiores extulit. Hæc sanctissimus Martyr & Scriptor vetustissimus Ignatius, quæ observatione apprime digna sunt. Afferit enim terribile esse, Episcopo contradicere, quòd qui contradicit vel spernit (spernit autem, qui iusta præcipienti morem gerere contemnit) non illum spernat, qui sub aspectum cadit, sed cum, qui oculorù nostrorum obtutum subterfugit, hoc est, Deum ipsum. Quòd si priuatum cuiusque Ecclesiæ Episcopum spernere terribile est, quanto cum discrimine coniunctum erit, Episcopum Episcoporum, hoc est, Iesu Christi in terris Vicarium maledictis incessere, atrocibus conuictis
- Qui humane potestati resistit, damnationem sibi adsciunt.**
- Damnatio mortale peccatum ponit.**
- 1. Reg. 8.**
- Exodi 18.**
- Spernit superiorem, qui iusta illius mandata contemnit vel negligit.**
- Papa Episcoporum Episcopus, & Iesu Christi in terris Vicarius.**

tiis publicè insectari, innumerisque apud seditiosam plebem impudentissimis mendacijs onerare?

PROBAT autem Ignatius sententiam suam illis ipsis Scripturæ testimonijs, quibus nos paulò antè vfi sumus, & alijs præterea nonnullis ad rem æquè facientibus; subdit enim: In lege, Dathan & Abiron Moyfi resistentes viui ad inferos depositi sunt: Sed & Chore & qui conspirauerant cum eo contra Aaron, ducenti & quinquaginta igne consumpti sunt. Abfalon etiam parricida existens, diuino iudicio arbori apprehensus est; sed & cor eius, quòd mala cogitauerat, sagittis trāsfixum est. Propter similem causam plexus est Aman. Ozias leprosus factus est, qui contra sacerdotes sacerdotium ausus est arrogare. Saul etiam sacrificare præsumens regali dignitate dehonorus est, non expectans principem sacerdotum Samuelem. Oportet & vos quoque reuereri potiores; & dignum est, nos non solùm vocari Christianos, sed etiam esse; non enim dicere, sed esse facit beatum. Hæc omnia illustris ille Martyr in eos, qui legitimis pastoribus non parent, vel Ecclesiastico ordine contempto, sacerdotium temerè vsurpant. Concludit autem, Christiano nomine indignos censendos, qui vel in hæc, vel in illam partem peccant.

CVM his Ignatianis satis conspirant hæc Cecilij Cypriani. Cùm scriptum sit: *Neque maledici regnum Dei consequentur.* Et iterum in Euangelio dicit Dominus: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ;* quomodo possunt censuram Domini vltteriùs euadere, qui talia ingerunt non solùm fratribus, sed etiam sacerdotibus? quibus honor tantus dignatione Dei conceditur, vt quisquis sacerdoti eius & ad tempus hîc iudicanti non obtemperaret, statim necaretur. In Deuteronomio enim Dominus per Moysen loquitur, dicens: *Et homo quicumq; fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicumq; fuerit in diebus illis, morietur homo ille.* Item ad Samuelem cùm à Iudæis sperneretur; & Dominus quoque in Euangelio: *Qui audit, inquit, vos, me audit, & eum, qui misit me.* Et cùm leprosum mundasset: *Vade, inquit, & demonstra te sacerdoti.* Et cùm tempore passionis alapam accepisset à seruo sacerdotis, aduersus Pōtificem nihil contumeliosè dixit, sed innocentiam suam ostendens: *Si malè, inquit, locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, cur me sedis?* Et in actibus Apostolorum cùm dictum esset Paulo: *Sic in si-*

Num. 16.
Terribilia ex-
empla in eos consti-
tuta, qui legiti-
mos magistrat⁹
contemplerunt,
2. Reg. 18.

Ester 7.

2. Para. 26.

1. Reg. 13.
Princeps sacer-
dotum Samuel.

Christiano no-
mine indigni, q⁹
sacerdotes sper-
nunt, vel in illo-
rum munus sese
ingerunt.

Lib. 1. ep. 3. ad
Corn. Ep.
Gal. 5.
Matth. 5.

Deut. 17.

1. Reg. 8.

Luc. 10.

Matth. 8.

Ioan. 18.

Cap. 23.

Sacerdotes Iuda-
orū post Chri-
stum passum so-
lum inane sacer-
dotij nomen re-
tinebant.

Exod. 22.
Hæc notent, qui
tanto furore in
sacerdotes nõ-
minino probos
insurgunt.

Vnde hæreses &
schismata nata,
secundum Cy-
prianum.

Vnus in terris
Christi Vicari-
& summus Iu-
dex.

Tria illustris do-
cumenta de sa-
cerdotum hono-
re, ex Cypriano.

Hom. 20. ad ca.
2. Luc.

Episcopi patres
nostri eorundem-
que loco habendi.

Deut. 21.

mulas in sacerdotem maledicendo? Quamvis Domino iam crucifixo sa-
crilegi & impij & cruenti illi esse cœpissent; nec iam quicquam de
sacerdotali honore & auctoritate retinerent, tamẽ ipsum quam-
uis inane nomen & umbram quandam sacerdotis cogitans, Pau-
lus: *Nesciebam fratres, inquit, quia Pontifex est. Scriptum est enim: Prin-*
cipi populi tui non maledices. Et sermonem absolvens subdit:

Cum igitur hæc tanta & talia exempla præcedant, quibus
sacerdotalis auctoritas & potestas diuina dignatione firmatur,
quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Eccle-
siam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec
tanti iudicis ultione terrentur? Nec enim aliunde hæreses obor-
tæ sunt, aut nata sunt schismata, nisi inde, quòd sacerdoti DEI
non obtemperatur; nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, &
ad tempus iudex vice CHRISTI cogitatur. Hæc Cyprianus, quæ
& assertam veritatem egregiè confirmant, & cum sectariorum
ætatis huius doctrina & moribus ex diametro pugnant. Pri-
mò grauissima pœna eos dignos pronunciat, qui DEI sacerdo-
tibus, quouis prætextu aut nomine insultant. Mox iusta mor-
te illos multatos astruit, qui sacerdotis imperium superbe quon-
dam detrectarant. Hinc CHRISTI & Pauli exemplo, iis quo-
que sacerdotibus debitum honoris & reuerentiæ cultum dese-
rendum monet, quos improba vita magis condemnat, quam
proba commendat. Tandem omnes errores & hæreses ex co na-
sci affirmat, quòd CHRISTI in terris Vicario non obtempera-
tur, vnusque pro tempore sacerdos, à quo cæteri omnes depen-
deant, non agnoscitur.

ORIGENES: Discamus, filij, subiecti esse parentibus; Ma-
ior minori subiicitur: Nam quia maiorem videbat Ioseph æta-
te, propterea eum parentis honore coluit. Omnibus filiis exem-
plum præbens, vt subiiciantur parentibus. Quod si patres iis non
fuerint, subiiciantur illis, qui patrum ætatem habent. Quid lo-
quor de parentibus & filiis, si IESVS filius DEI subiicitur Ioseph
& MARIAE, ego non subiiciar Episcopo, qui mihi à DEO ordi-
natus est pater? Non subiiciar presbytero, qui mihi Domini di-
gnatione prapostitus est? En Origenes eodem loco habet eos, qui
suis Episcopis & Pastoribus parere nolunt, quo illos, qui iusta pa-
rentum

tentum imperia detrectant, hos autē veluti quarti præcepti reos, lex vetus lapidibus obrui mandat.

CVM his faciunt hæc D. Bernhardi quoque: Disce, ait, homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare, erubescere superbe cinis: DEVS se humiliat, & tu te extollis? DEVS hominibus se subdit, & tu dominari gestiens tuo te proponis auctori? Et friuolam eorum causationem refellens, qui inobedientiam suam improba prælatorum vita excusabant, alibi ita scribit: Qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, si Ecclesiæ ordinibus detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt.

AT peccatores, inquit, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis Sacramentis idonei: nunquam duo ista conueniunt; peccatorem esse; & Episcopum esse. Falsum est. Episcopus erat Caiphias, & quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Apostolus erat Iudas, licet auarus & sceleratus. An tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne, inquit, Ego duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est? Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedienciæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem & dicentem; *Quæ dicunt, facite*. Patet quamuis Scribæ, quamuis Pharisei, quamuis maximi peccatores, propter cathedram tamen Moyse ad eos quoque nihilominus pertinere, quod idem dixit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*.

HÆC in huius ætatis sectarios appositè congruunt. Constat enim eiusmodi argumentationes tritissimas apud illos esse: Episcopi, Pastores, cæteri que Romanæ Ecclesiæ ministri peccatis contaminati sunt; ergo veri pastores vel Episcopi non sunt, ergo lupi sunt, ergo fugiendi sunt, ergo rectæ fidei doctrina destituti sunt, ergo audiendi non sunt. Et tamen omnes hæc collectiones sunt omnino insulsæ, & si quid virium habent, iusto titulo in illorum capita retorqueri possunt. Eæ enim vulgi prædicantur sunt sordes, ut mundus ferre vix queat. Verum, ut Bernardus rectè docet, ad Episcopale vel pastorale munus abrogandum, vel ad obedienciæ vinculum, quam subditi legitimo magistratui debent,

Ad eund. Euāg.
loc.

Ser. 66. sup. cāt.

Ioan. 11.

Peccata non tol-
lunt Episcopatus,
aut aliū Ec-
clesiasticum or-
dinem.
Ioan. 6.

Matth. 23.

Luc. 10.

Quismodi hæ-
reticorum argu-
mentationes cō-
tra Ecclesiæ Ca-
tholicæ sacerdo-
tes.
Inexhausta vul-
gi prædicatum
sordes.

Quae deponantur ad verum pastorem.

Grauer errat, & cum Scripturis manifestis pugnant, qui leges humanas tantum ad poenam obligare asserunt, non etiam ad culpam.

Si humanae leges non obligarent ad culpam, nullo modo fas foret eiusmodi legum praevicatoribus capitali supplicio afficere, aut anathemati subicere, aut alia quacunque graui poena afficere.

discindendum, sunt haec omnia infirma & inefficacia. Qui enim orthodoxus est, sacrisque rite initiatus est, & legitima, nullaque Ecclesiae censura impedita iurisdictione praeditus est, verus Episcopus & Pastor est. Quem proinde, utcumque tandem priuatim vixerit, aequè ac Christum ipsum audire necessum est. Alios Patres, ne instituti compendij metas transiliam, missos facio. Solum monuerim, non eos modò grauer hinc impingere, qui omnem obligandi vim humanis legibus adimunt, sed eos etiam, qui eiusmodi leges tantum ad poenam obligare contendunt: Quandoquidem Deum contemnere, aut ordinationi eiusdem resistere, non est puniri, ut quivis iudicio valens facillè intelligit, sed poena digna committere.

PRAETEREA si humanae leges nullo modo obstringerent ad culpam, sed tantum ad poenam, principibus ceterisque politicis magistratibus nequaquam fas foret, legum praevicatoribus capitali supplicio afficere, aut exilio mulctare, aut ad perpetuos carceres damnare, aut bonis omnibus exuere, aut alia eiusmodi poena plectere. Sed neque Ecclesiasticis iudicibus quoque ius esset Ecclesiasticarum sanctionum transgressores excommunicationis, aut exauertionis, aut suspensionis, aut alteri simili poenae vel censurae subicere. Nam cum tota consentiente schola haec poenae sint maximae, nulli in fonti iusto iure inferri possunt. At contumacibus eiusmodi poenae iuste inferuntur: obligant proinde humanae leges non solum ad poenam, verumetiam ad culpam; imò verò mediante culpa obligant ad poenam.

QVOD si ob violatas humanas tantum leges id genus poenas iuste irrogari posse negas, non modò piissimos Imp. sanctissimosque Pontifices, & Martyres quam plurimos iniustitiae condemnas; sed uniuersam quoque Rempub. Christianam, ut uniuersas insimulas. Neque enim soli Imperatores & Pontifices poenas, quas paulò antè recensuimus, ut iustas decernunt, decretasque infligunt, sed complures quoque aecumenicae, prouinciales, & diocesanae Synodi. Mitto hinc, non solum unanimum Patrum omnium consensum, totiusque Ecclesiae usum istiusmodi poenarum & censurarum aequitatem dilucidè probare; sed poenales quoque veteris Testamenti leges eandem validè confirmare. Siquidem lex Moisaica morte illos mulctabat, qui sacerdotis, vel iudicis, vel patris

impe-

imperium fortè detrectassent. At non minor nunc est Principum vel Episcoporum Ecclesiæ auctoritas, aut in ferendis legibus potestas, quàm olim erat principum vel sacerdotum Synagoge.

DENIQUE res hæc apud prudentes, syncereque orthodoxos est certa & indubitata; Nam vt in sacris literis veterumq; monumentis nihil quicquam, vnde ea veritas constitui posset, traditum extaret; attamen ex opposita doctrina tam multa paradoxa consequuntur, vt iure inepti haberi queant, qui vt contrarium euincant, enixè laborant. An non meritò ab omnibus exhiberetur, qui eos à peccato immunes pronunciarer, qui nulla legitima causa præpediti, præmissa peccatorum exomologesi, singulis annis minimum semel corpori CHRISTI communicare nollèt? Qui sacris initiati, vel sacerdotium aliquod Ecclesiasticum consecuti, precum horariorum pensum data opera omitterent? Qui pastoribus decimas, vel principibus statuta vestigalia non soluerent? (nam etsi iure naturali vtrisque alimenta debeantur, eo tamen iure non debentur certa): Qui sacro Veneris die citra vllam necessitatem carnibus vescerentur? Qui tertio vel quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu inter se cõiuncti matrimonium inirent? Qui contra interdictũ sacris operarentur? &c. & tamen hæc omnia & sexcenta id genus alia, ex humano iure integrè dependent. Simpliciter proinde statuendum est, leges humanas nõ solũ obligare ad pœnam, verũ etiam ad noxam.

In multa absurda sese coniciunt, qui humanas leges ad culpam obligare iustificiantur.

DICES forsan: Si non solũ diuinæ, sed humanæ quoque leges obligant ad culpam, ergo inter has & illas nihil intercedet quandoquidem tota vel certè præcipua legis vis in eo posita est, vt obligare queat ad culpam? Non sequitur; nam etsi in hac re vtunque conueniunt, in aliis tamen non parum inter se dissentiunt. Etenim vt lex diuina sit iusta, absoluteque obligatoria, sat est, si sola legislatoris voluntas adsit; vt quæ certa primaq; omnium humanarum actionum sit regula; vt autem lex humana vim legis obtineat, non satis est, adesse legislatoris voluntatem, aut iustam legis ferendæ causam, sed præter hæc necessum est, vt diuinæ naturalique legi sit consentanea. Si enim alterutri fuerit dissentanea, non erit lex, sed legis corruptio; tum vt sit honesta, Reipubl. utilis, secundum naturam & patriæ consuetudinem lata, loco iti-

Multum intercedit inter diuinas & humanas leges, etsi in quibusdam conueniant.

Lex humana diuinæ vel naturali legi dissentanea, non lex, sed legis corruptio est.

Lex humana vt obligandi vim habeat, multas requirit condiciones.

dem & tempori conueniens, nullo tandem priuato commodo conscripta. Quod si quid horum defuerit, roboris expers erit.

Lex diuina lege humana diuturnior.

Lex diuina latius patet, hoc est, multo plures obligat quam humana, & strictius quoque ligat.

Quid deponatur, ut lex quæpiam diuina censetur & sit.

Proverb. 8.

In quo diuina & humana lex conueniant. Tam diuina quam humana lex id sæpè facit necessarium, quod sua natura est liberum.

Ad hæc licet lex humana diuturna esse queat, & perpetuam esse eidem non repugnet, plurimum tamen lex diuina multo illa est diuturnior & constantior: Quandoquidem ut hæc à solo Deo fertur, ita ab ipso solo quoque tollitur: legem autem humanam multis modis mutari & abrogari contingit. Quin vinculum quoque utrobique non est prorsus idem; lex enim diuina non modo latius patet, pluresque obligat, sed strictius quoque obligat. Nam lex humana multo plures condiciones deponit, ut obliget, quam diuina. Tandem lex diuina, per quemcunque tandem promulgetur, vel proponatur, totum robur, quo pollet, à Deo accipit. lex autem humana ut vim, ita originem quoque ab homine trahit. Nam ut lex quæpiam diuina habeatur, non sat est si generali quadam Dei facultate lata vel promulgata sit: (Quandoquidem si vnum hoc sat esset, omnes omnino leges diuinæ essent, scriptum est namque: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Sed & omnes quoque municipales leges hæc eadem ratione regie & imperatorie forent. Constat enim quicquid inferiores legislatores vel iudices legum vel iudiciorum ferunt, hoc totum supremi iudicis vel legislatoris auctoritate ferre) sed necessarium est, ut proximè ab ipso met Deo sit lata, vel ea ceterè ratione ab illo profecta, ut totam, qua pollet, vim & energiam non aliunde, quam ab ipso mutuetur. Hæc igitur præcipua sunt capita, in quibus diuina & humana lex inter se discrepant.

CONVENIUNT autem in eo, quod iam dictum est. Tum in eo rursus, quod utraque id sæpe efficiat debitum & necessarium, quod antè erat medium planèque liberum. Etenim ut à pisce squama non recto, ab animante vngulam non findente, vel cibum ingestum non ruminante abstinere (modò valetudini non obstat) secundum se est adiaphorum; rursus ut sacerdoti peccatorum exomologesin facere, aquis sacris lustrari, sacro oleo inungi &c. sua natura est medium, adeoque liberum, sed vel malum, quia diuinitus inhibendum, vel bonum vel necessarium, quia diuinitus præceptum; ita aurum vel frumentum extra prouinciam non efferre, serica veste nulla uti, armis non accingi, certo die carnibus non vesci, aliæque id genus quam plurima, quæ humanæ leges vetant vel

vel mandant, secundum se sunt indifferentia; attamen quia vetita vel iussa sunt, liberè fieri, vel inculpatè omitti non possunt. Tum in eo demum quòd ambæ ita obligent ad pœnam & culpam, vt tamen non semper ad parem, sed quandoque ad maiorem, nonnunquam ad minorem, pro materiæ nimirum qualitate, aut præuaricationis ratione, aut præuaricatoris affectione.

QVOD humanæ leges studio violatæ noxam veniali maiorem quandoque adducant, id ex scripturis patrumque sententiis, & pœnis nihilominus quibus istiusmodi legum transgressiones puniri solent, iam antè probatum est, & apud eos, qui aliquo rationis discursu vtuntur, minimè obscurum est. (Quis enim ita obtusus sit, vt ab omni æquitatis ratione alienum esse non videat, eos corporali morte, aut perpetuo carcere, aut membrorum mutilatione, aut exauctoratione aut suspensione, aut anathemate multare, qui aut nullo, aut veniali tantum peccato sese contaminarunt) & Meldensis Synodi decreto propter importunos quosdam denuò cõfirmatur: Nemo, habet illud, Episcoporum quemlibet, sine certa & manifesta peccati causa, communionem priuet. Sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum nullum præsumat ponere; nisi vnde canonica docet auctoritas. Quia anathema est æternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & iis qui aliter non poterunt corrigi. At omnes enumeratæ iam pœnæ propter humanarum legum præuaricationem imponi consueuerunt, & iam olim sæpissimè impositæ fuerunt. Nihil hîc iam dico de DEI contemptu.

PORRO autem quòd eiusmodi transgressio non semper sit mortifera, id proluxa probatione non indiget. Nam & materia, circa quam peccatur, sæpe est leuis; & actus, quo contra præceptum itur, non plenè semper est deliberatus; & legislatoris voluntas nonnunquam est eiusmodi, vt legis suæ transgressores ad mortale omnino nolit obligari. Et quamuis tota peccati quantitas hinc absolutè non pendeat, pendet hinc tamen aliqua ex parte. Certum est enim eundem esse legislatorem, qui prohibuit homicidium & adulterium, paruum & magnum furtum, otiosum & perniciosum verbum, facetum & exitiosum mendacium, &c. & tamen non prohibuit hæc omnia sub eadem noxa & pœna. Sic quoque non idem peccatum sibi consciscunt, qui ad euitandum maius

Diuinari æquè ac humanarum legum præuaricatione est eiusdem semper grauitatis.

11. q. 2. nemo. Nemini ob peccatū, lethali min⁹, anathema debet imponi, nec iure quoque imponi potest; nulli rursum nisi cõtumaci.

Humanarum legum transgressio, non semper est lethalis, sed neq; diuinarum quoque.

maius malum, vel obtinendum maius bonum, ab humana legis obseruatione desistunt, & qui neutrius habita ratione contra legem agunt: Siquidem legislatoris scopus non est, sua lege maius aliquod bonum impedire, sed bonum promouere.

Qui de humane legis præuaricatione, eiusq; grauitate pronuntiare vult, plura cõsideret oportet.

CAETERVM quando humanae leges violatae adducunt peccatum mortale, quando rursus veniale, vel nullum prorsus, id regula, quæ nusquam fallat, tradi vix potest; siquidem rei huius cognitio dependet ex multis capitibus & causis. Quare qui hic certi aliquid pronuntiare voluerit, multa consideret oportet, puta legis formam; legislatoris vel legis scopum; materię, contra quam peccatur, qualitatem; personæ præuaricantis conditionem; pœnæ, quæ in legis præuaricatorem decernitur, quantitatem; loci, vbi lex lata est, vsus & consuetudinem, aliâque similia nonnulla. Satis enim compertum est, non idem peccatum committi, dum id agitur, quod absolutè vetatur; vel id omittitur, quod simpliciter præcipitur: ac dum id designatur, vel prætermittitur, quod suadet vel dissuadet veriùs quàm absolutè mandetur, vel inhi-beatur. Nec idem rursus, dum in re graui peccatur, ac dum in re ponderis non admodum magni. Aut dum contra id committitur, quod sub exauctorationis, aut anathematis, aut mortis, aut carceris pœna vetatur; ac dum contra id, quod absque vllius pœnæ comminatione per modum statuti vel legis proponitur. Nec idem tandem, cum contra illud statutum peccatur, quod religio-sè ab omnibus obseruatur, atque dum contra illud, quod à paucis, vel penè à nullis obseruatur: Nam vt leges non obligant, nisi vtentium moribus confirmentur, ita olim latae vsuque receptæ, oppositis vtentium moribus denuo infirmantur, ac tandè omnino abolentur. Edisseram id clariùs:

Lex vsu non recepta, aut confirmata, vim obligandi nõ habet, sicut nec illa quoque, quam contrariùs vsus abrogauit.

CERTVM est, in iis, quæ secundum se sunt media, vel indifferentia, (cuiusmodi sunt ea ferè omnia, de quibus humanae leges statuunt) legem præcipuam suam vim ex legislatoris auctoritate & voluntate trahere. Quare vt nulla lex obligat, nisi legislator eam obligare velit, ita iam lata vsuque recepta, si ipse obligandi vim illi ademerit, obligare desinet. Atqui nullum euidentius mutati animi argumentum extare potest, quàm consuetudinem legi contrariam impunè absque vlla contradictione, aut admonitione, aut coërcione admittere; præsertim si legislator earum sit virium, vt

trans-

transgressores per commodè, si velit, pœnis vel admonitionibus, ne legem violent, coërcere possit. Nam si id non posset, aut propter præuaricatorum potentiam non auderet, & legis nihilominus ratio adhuc obtineret, præuaricatores contraria consuetudine à præuaricationis peccato excusationem non haberent. Quòd si qui sunt, qui legem iustam Reipublicæ vtilem per contrariam consuetudinem abrogari posse negant, illi de ea consuetudine id affirmant, quæ legislatore nesciente, vel resistere non valente, contra receptam legem inducitur, vel certè contra legem ea, quæ suapte natura honesta sunt, mandantem, vel ea, quæ intrinsecè mala sunt, vetantem.

At quia de eiusmodi consuetudinibus vulgò non semper constat, aut si constet, de rei tamen iussæ vel inhibitæ ratione non item, multò verò minùs de legislatoris voluntate, nisi ipse, quod rarò solet, eam in lege disertè exprimat, qui de præuaricationis qualitate, vel quantitate aliquid certius pronunciare voluerit, consultius fecerit, si in materiam, in quam peccatum cadit, in legis rursus formam, eiusdemque æquitatem, vtilitatem, necessitatem, aliâque eiusmodi mentis aciem coniecerit; quàm si in huius vel illius loci consuetudinem, aut legislatoris voluntatem anxie inquisierit.

IGITUR vt in diuina & naturali lege communi quadam ratione id capitale censetur, quod contra Dei honorem, vel proximi dilectionem committitur; veniale verò, quod citra illa committitur; ita in humanis legibus id capitale censeri potest, quod contra publicum Ecclesiæ vel Reipublicæ bonum studio designatur. Quale est omne illud, quod contra eiusmodi legem temere perpetratur, ex cuius obseruatione dependet salus, pax, tranquillitas, aut quædam insignis Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilitas. Veniale verò quod præter hæc, vel contra eam legem committitur, quæ tanti momenti non est, vel cuius obseruatio ad Ecclesiæ vel Reipublicæ pacem & tranquillitatem non admodum necessaria est. Quin hac ipsa quoque lege posita, magna adhuc opus est cautione, ne id videlicet veniale aestimemus, quod veniali fortè grauius est.

QVOD si qui sunt, qui legislatoris voluntatem hîc etiam spectandam & consulendam contendant, ij responsum habeant,

m iure

Cōsuetudo legi contraria cōtra legislatoris voluntatē inducta, legem non infirmat.

Ex legis forma, materia, vñ, aliis que eiusmodi faciliùs transgressionis grauitas deprehenditur, quàm ex legislatoris voluntate aut loci consuetudine.

Generatim id capitale censeri potest, quod contra publ. Ecclesiæ vel Reipubl. bonum committitur; veniale quod citra illud.

Iure existimari potest, legistorem id voluisse, quod materiae, circa quam ferretur, qualitas de-
poscebat.

iure existimari posse legislatorem id voluisse, quod qualitas materiae, circa quam tulit, iure meritoque eum velle postulabat. Neque enim putandum est, legislatorem rem maximi momenti; cuiusmodi ea est, cui totius Reipublicae vel Ecclesiae salus innititur, sub nulla aut sub minima noxa vetuisse, aut praecipisse: contra verò rem, nullius ferè pòderis, sub lethali crimine subditis indixisse, aut vetuisse. Fuisset enim eiusmodi voluntas primae regulae & rectae rationi planè dissentanea. Nam etsi idem ille, qui dixit: non occides, dixerit quoque, furtum non facies, nihilominus eò grauius illos peccare censemus, qui occidunt, quàm qui furtum faciunt, quò vita hominis praestantior est pecunia; vel quò grauius laeditur, qui è medio tollitur, quàm qui externis tantum bonis spoliatur.

VERVM si id spectemus, quod communiter accidere solet, princeps vel magistratus, dum legem aliquam Reipublicae vitalem vel necessariam promulgat, nullam plerunque de veniali vel mortali peccato cogitationem suscipit, sed totus in hoc incumbit, vt lex quam tulit, accuratè obseruetur. Quò autem istuc consequatur, non est contentus simpliciter iubere vel vetare, sed minas quoque & multas iusioni vel inhibitioni interdum addit, quas etià in aliorum terrorem à prauaricatoribus ordinariè exigere consuevit. At vero ex eo quòd id non fit, quòd ille vult fieri, quòdque iure fieri debebat, consequitur noxa. Nam contra legem humanam iustam, debitisque circumstantiis ornatam agens, agit contra rectam rationem, adeoque contra legem naturalem, & ex consequenti agit etiam contra legem diuinam. Iubet hæc enim seuerèque iniungit, vt iustis superiorum legibus morem geramus; contra rationem autem vel DEI legem agere, cum peccato coniunctum est, quòd cunctum tandem legislator voluerit. Non enim positum est in illius voluntate, velle simpliciter & cum ratione hoc vel illud à suo subdito fieri, & ipsum nihilominus, si, quòd visum fuerat, studio neglexerit, à noxa immunem conseruare.

Quicquid legem ferens de transgressionis nota statuerit, si id nō sit, quòd absolute vult fieri & eà ratione voluit, peccatum constitatur.

QVAMOBREM non videtur operosè inquirendum princepsne vel magistratus legis suae prauaricatorem ad mortale peccatum obligare voluerit, an tantum ad veniale, vel etiam ad nullum

nullum omnino. Est autem studiosè inuestigandum an id, quod lege cautum extat, absolutè præceptum sit, an solùm consultum, vel suatum, vel insinuatum. Inuestigandum est hìc, inquam, an id, quod lex mandat vel vetat, mandat vel vetet per modum absoluti præcepti, an tantùm per modum consilij. Nam si per modum absoluti præcepti, legis præuaricator peccat, siue legislator transgressorem peccato qualicumque inuoluere intendebat, siue nulli omnino. Si autem per modum salubris consilij tantùm, legem infringens aut non peccat, aut certè lethabiliter non peccat, etiamsi legislator eum ad peccatum obligare instituebat. Siquidem consilia, modò desit contemptus, communiter non obligant ad peccatum.

Videndum studiosè an id quod lege cautum est, absolutè præceptum, an tantùm consultum sit.

QVÆRIS vnde colligam præceptine vim lex obtineat, an tantùm consilij? si legislatoris mentem omnino compertam non habes, neque habere potes, eò quòd vel absit, vel commodus ad illum aditus haberi non possit: expendè statuti materiam. Nam si est grauis, ad Reipublicæ salutem, vel ad boni communis conseruationem multùm necessaria, vel magnum aliquod malum impedire nata, vel præcepto alioqui digna, legislatorem præcepisse magis quàm consuluisse existimes; si autem ponderis est exigui, neque multùm quoque ad Ecclesiæ, vel Reipublicæ incolumitatem necessaria, arbitrari licebit magis voluisse suadere, vel ordinare, vel admonere, quàm absolutè mandare.

Num statutum obtineat vim præcepti, an verò consilij, ex materiæ qualitate spectandum est.

QVOD si legis obiectum fuerit subdubium, ad legis formam, hoc est, ad verba, quibus lex proponitur, considerationem tuam transferas. Nam qui hac vel alia simili forma legem proponit: Districtè iubemus, inhibemus, mandamus: Vel, in virtute sanctæ obedientiæ, sub anathemate, sub æternæ indignationis maledictione, sub seuerissimo DEI iudicio, &c. hoc vel illud præcipimus, vel interdiciamus, absolutum, citra controuersiam, præceptum edit: Contra verò si communibus tantùm verbis vtitur; vt si ita dixerit, statuimus, decernimus, volumus, ordinamus, monemus, hortamur &c. nisi quid adiunctum fuerit, vnde oppositum inferre conueniat, legem suaforiam magis quàm

Ex legis forma aliquidne simpliciter sit præceptum, an verò statutum, vel ordinatum, colligi potest.

præceptoriam promulgare voluisse existimari poterit. Quod si his omnibus adhibitis adhuc hæres, eruditos consulas, eorumque consiliis acquiescas.

AT esto, inquis, statutum aliquod humanum iusti præcepti vim obrineat, non ideo tamen, qui illud violat, lethaliter statim peccat? Omnino; modò tamen deliberato animi proposito id faciat: secus si ex aliqua ignoracione, vel ex quadam animi præcipitatione, aut ex aliqua alia causa factum in totum vel in partem excusante eiusmodi legem solueret. Nam qui iusta causa motus legem violat, non peccat. Siquidem causa iusta legis rationem quassat; legis autem ratione quassata, lex obligare cessat; generatim quidem si vniuersè quassata est; speciatim verò, si in peculiari aliquo casu labefactata est. At non est tamen cuiusvis de legis ratione iudicare, alioqui pauci comperirentur, qui legem religiosè obseruarent; sed eius præcipuè, qui legem tulit, si tamen aditus ad ipsum vel ad ipsius successorem haberi possit. Quòd si is haberi non quiverit, ij in consilium adhibendi sunt, qui & iudicio valeant, & DEVM timeant. Qui secus faciunt, violatæ legis periculo haud dubiè sese exponunt.

OBIECTIS rursus; vnus aut alterius præuaricatio non potest magnum aliquod Ecclesiæ vel Reipublicæ detrimentum adferre; ergo licet materia, in quam peccatur, sit ponderosa, non ob id tamen capitalem aliquam noxam adducet? Ad hoc respondetur, non esse hîc spectandum quantum Ecclesia vel Respublica detrimentum capiat, si vnus aut alter id faciat, quod per legem facere non licet; sed quantum si reliqui omnes idem faciant. Nam etsi forsan non magnum regno vel Reipublicæ damnum adferatur, si vnus aut alter solùm contra edictum regum aurum aut frumentum è regno exportet, vel iusta vectigalia defraudet, vel aliam eiusmodi legem ad communem populi salutem latam non seruet: magnum tamen adferetur, si iste & ille & reliqui deinceps secus ac cautum est facerent. Vnde omnes generatim loquendo grauius peccant: sicut omnes quoque, qui decimas defraudant, aut publica æraria expilant, tametsi vna cuiusmodi direptio vel expilatio, non ita magnum detrimentum Ecclesiæ vel Reipubl. adferat.

Qui iusta de causa legem violat, non peccat.

Nò est cuiusvis, de legis ratione iudicare, sed legislatoris præcipuè.

In legum præuaricatione nò est spectandù, quantum vnus præuaricatio detrimenti adferat, sed quantum plarium.

ADDISI

ADDIS: Si peccati quantitas ex materiae qualitate spectanda est, ut non semel iam dictum est, ergo lex non facit culpam, sed res secundum se: Siquidem per legem rei natura non mutatur. Quare quod post legem latam est utile vel necessarium, id prius quoque quam lex ferretur, erat eiusmodi? Ad hoc dici potest, multa secundum se Reipub. esse commoda, utilia, & salutaria, quae tamen non fiunt, quia sunt libera; ut autem fiat, accedit lex, quae ea, quae antè erant utilia, non tamen necessaria, facit necessaria. Sic quoque ad mala vel incommoda quod attinet, contingit nonnunquam ut quippiam ante legem latam vni tantum aut alteri malum sit, non tamen omnibus; attamen quò omnium commodo ex æquo consulatur, absolute interdicitur omnibus. Exempli gratia: Serico vel auro vestiri, non est malum aut incommodum viro nobili opibus affluentem; est tamen incommodum nobili pauperi; quia eiusmodi vestitus fortis suae conditionem excedit; veruntamen quia vnus id facit & item alter, & rursus alter, & sic de reliquis, quò inter nobiles quaedam æqualitas seruetur, & pauperum nihilominus nobilium honori consulatur, interdicitur omnibus, ne se serico vel auro ornent? Atque ita patet quò lex humana rerum naturas aliquatenus mutet; nam antè bona & utilia, libera tamen, facit necessaria; antè mala non tamen vniuersè, vniuersè efficit mala.

Lex ea, quae antè erant utilia, & salubria, libera tamen, facit necessaria.

Lex rerum naturas aliquatenus mutat.

INSTAS tertio & postremo: non minor est auctoritas Papae, vel Concilij, vel Imperatoris, vel Principis viri, vel aliorum quoque inferiorum magistratuum, quam Antistitum religiosarum familiarum; Ast illi leges edere possunt, & subinde quoque edunt, quae tantum ad poenam obligant. Ergo hoc ipsum quoque superiores magistratus facere potuerunt: ergo falso paulò antè assertum est, in legislatoris potestate situm non esse, legis transgressorem immunem à culpa seruare, propterea quòd ut vmbra corporis; ita voluntariam legis prauaricationem naturaliter & necessario consequatur noxa.

NEGARI sanè non potest, leges & sanctiones monasticas, patrum rursus & matrum familias, dominorum tandem & praceptorum eiusmodi ferè esse, quae magis obligent ad poenam aliquam vel multam, quam ad noxam, adeoque maiores quoque potestates eiusmodi leges & sanctiones condere posse, & re ipsa

Cuiusmodi sint statuta & leges monasticæ, patrum nempe & praceptorum.

quoque interdum condere; verum eiusmodi constitutiones, sanctiones, vel ordinationes non sunt absoluta & κατ' ἐξουσίαν præcepta vel leges: siquidem legislator vel constitutionum eiusmodi auctor vel exactor, siue is secularis fuerit, siue Ecclesiasticus, non præcipit hic absolute; neque exigit absolutam in hisce à suis subditis obedientiam: sed ordinat tantum & insinuat quid fieri cupiat, vel quid fieri quoque expediat. Quare potius docere vel dirigere dicendus est, quam absolute præcipere, vel districtè inhibere. Quòd si religiosorum præfecti, patres familias, vel parentes absolute præciperent, vel districtè inhiberent, profectò eorum præcepta non secus obligarent, quam leges ciuiles vel Ecclesiæ Canones. Tenentur enim monasticen professi suis obedire præpositis, liberi parentibus, vxores maritis, serui dominis. Quamobrem dicere; Regula huius vel illius loci vel ordinis obligat ad peccatum, huius contrà vel illius ad peccatum non obligat, idem est dictu, quod primus ordinis vel loci huius vel illius institutor ea, quæ Regula sua complexus est, absolute præcepit: Alter contrà, quæ in Regulam redegit, absolute non præcepit aut vetuit, sed tantum ordinauit, consuluit, insinuauit, &c.

Quo sensu dicitur Regulâ huius vel illius ordinis obligare ad peccatû, vel ad illud non obligare.

Quæ hætenus exposita sunt, ea planum faciunt, non solum leges diuinas obligare ad culpam, verum etiam humanas, modò tamen sint iustæ, nullaque mala circumstantia vitiatæ, & iis nihilominus propositæ, qui legislatoris imperio, vel iurisdictioni sunt subiecti. Qui enim legislatoris potestati non subditur, neque eiusdem quoque statutis, aut legibus obnoxius tenetur. Proximum est, vt ea nunc paucis proponamus & diluamus, quæ Antagonistæ contra humanarum legum vim obiiciunt. Nam etsi illa nõ ita multum vrgeant, ex eorum tamen discussione Catholica veritas illustrior euadet.

Lex legislatoris subditos tantum obligat.

Vanas eorum rationes & argumenta esse, qui omnem humanis legibus vim & auctoritatem abrogant.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

PRIMUM

PRIMUM SECTARIORVM ARGVMENTVM.

SANIORI Euangelij doctrina instituti, nihil ex iis admittunt, quæ Christianæ libertati, aut Euangelico spiritui repugnant: Politicæ autem & Ecclesiasticæ leges vtrique repugnant non parum; scriptum est enim; *Vbi Spiritus, ibi libertas. si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Rursum: *Iusto lex non est posita, sed impiis & periuris.* Item: *Spiritalis homo iudicat omnia, ipse verò à nemine iudicatur.* Denique lex Euangelica non cuiusuis, sed perfectæ libertatis lex appellatur; perfecta autem libertas excludit omnem seruitutem, legumque molestiam.

2. Cor. 3.

Galat. 5.

2. Cor. 2.

Iacob. 1.

SOLVTIO I. ARGVMENTI.

Hoc argumentum vsque adeò vulgatum & tritum est, totiesque iam antè inculcatum & refutatum, vt nauseam penè moueat. Quoties iam repetitum est, Christianam libertatem non esse positam in nihil agendo, aut malè agendo, aut in quacunque carnis libertate; verùm in immunitate ab ea seruitute, à qua Christus nos liberauit: Hic autem non liberauit nos à maiorum legibus, aut à bonorum operum studiis, aut à vitæ huius miseriis; sed à peccati & dæmonis vinculis, à ritibus & cæremoniis Iudaicis, ab inferorum suppliciis, aliisque similibus, quæ vel peccatum sunt, vel ex peccato originem ducunt. Quare dum Antagonistæ ex Apostolo allegant, *vbi spiritus, ibi libertas*, id allegant, quod nulli Catholicorum negant, tamen si Apostolus aliò spectet. Nam vbi Spiritus regnat, ibi mors, ibi peccatum, ibi caro, ibi infernus, ibi diabolus regnum obtinere non valet: Regnat autem ibi charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, &c: Vbi autem hæc principatum tenent, ibi lex pœnam adferens, vel inuitos & refractarios ad officium compellens, locum non habet: Iusti enim vltro, quod legis est, faciunt. Habet tamen & apud hos quoque locum, vt dirigit, vt instruit, &c.

Christiana libertas in quibus posita.

A quibus incommotis Christus nos liberarit, vel non liberarit.

Galat. 5.

Quomodo lex iusto non est posita.

NEQUE sunt hæc nostra cõmentaria, aut monachorum somnia, vt carnalis libertatis præcones nugari solènt; sed certa Spiritus sancti oracula. Quandoquidem enumeratis Spiritus sancti fructibus, Aposto-

Apostolus statim subiungit: *Aduersus eiusmodi non est lex: quod idem est cum eo, Si spiritu ducimini, non estis sub lege; & cum altero illo, Iusta lex non est posita.* Neque enim ea ratione ipsi posita vel imposta est, ut premar vel inuitum compellat, vel poenæ formidine ad officium adigat; verum ut moneat, quidque opus est facto edoceat; vel certè propter ipsum non est posita: nam si omnes forent iusti & æquitatis studiosi, nullis poenalibus statutis opus esset: vel non eo fine aut ratione iustis est posita, quo impiis & iniustis.

CUM autem Apostolus scribit, spiritalem omnia iudicare, ipsum autem à nemine iudicari, quiduis potius iudicare vult, quam spiritalem hominem nullum superiorem, aut iudicem habere, nulla lege teneri, nulli mortalium obnoxium esse; in omnibus autè & per omnia sui iuris ac liberum esse, ita ut quicquid facere libeat, inculpate facere queat: Significat autem cuiusmodi sit, id à nemine certò discerni posse. Quandoquidem externa sanctimoniarum iudicia sunt ambigua, malisque; cum bonis communia, ad eoque ex iis ne ab altero quidem spiritali certum iudicium fieri potest, nedum ab homine carnali. Carnales enim carnalia tantum sapiunt & loquuntur: Ipse autem per internum Spiritus sancti magisterium rectè iudicat omnia; tam ea, quæ vitæ salutique sunt consentanea; quàm ea rursus, quæ eisdem sunt dissentanea. Nihil est ergo, quod de spiritali omnia iudicante, aut de Christiana libertate adferunt.

SED neque magni quoque momenti est, quod de perfecta libertate ex D. Iacobi Canonica depromunt. Primò enim S. Iacobus Euangelium non appellat legem perfectæ libertatis, sed legem perfectam libertatis. Ait enim: *ὁ ἀγαπῶν τὴν ἐλευθερίαν*; *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, vel, quæ est lex libertatis.* Eodem omnino sensu locum hunc legunt Syri quoque. At multum interest inter legem perfectam libertatis, & legem perfectæ libertatis. Multæ enim extant leges, quæ & perfectæ sunt, & libertatis sunt, & tamen perfectæ libertatis leges non sunt. Deinde verò, ut perfectæ libertatis lex sit, perfectæque libertatis lex appelletur, adhuc nullum huic veritati præiudicium procreatur. Constat namque, libertatem eò censendam esse maiorem, quò seruitus, ex qua liberat, erat grauior: At tenebamur serui-

Galat. 5.

Quomodo iusti non sunt sub lege.

2. Cor. 2.

Quo sensu spiritalis iudicet omnia, & à nemine iudicetur.

Externa sanctimoniarum iudicia incerta.

Carnales carnalia sapiunt.

Iacob. 1.

Non omnis lex perfecta libertatis, est etiam lex perfecta libertatis.

seruitute omnium teterrima & improbiſſima; niſi quis forſan ita ſobriè ſapiens ſit, vt leue exiſtinet, obnoxium eſſe Diabolo & peccato, preſſum eſſe Moſaicæ legis iugo, deuotum eſſe inferno, mancipatum eſſe morti, innumerisq̄ue huius vitæ miſeriis, à quibus omnibus liberati ſumus per CHRISTVM. Denique Apoſtolus nuſquam docet ſat eſſe ad ſalutem perfectæ libertatis legem cognoſcere; monet autem ſerioq̄ue inculcat, qui ſalute potiri cupiunt, eos ſtudioſè illa omnino præſtare debere, quæ lex illa mandat: *Qui, inquit, perſpexerit in legem perfectæ libertatis, & manſerit in ea, non auditor obliuiſus factus, ſed factor operis, hic beatus in ſacto ſuo erit.* Atqui inter cætera legis huius decreta continetur ea quoq; obedientia, quæ maioribus debetur.

QVAMVIS ergo lex Euangelica libertatis lex ſit, lex tamen eſt, onus eſt, iugum eſt; & illud quidem, ſecundùm ſe abſolutè cõſideratum, minimè leue. Nam nõ irarſci, inimicis bene facere, pro perſequentibus orare, non modò manum, ſed oculum quoque & animum ab illicitis coërcere, crucem tollere, ſeipſum abnegare, aliq; eiufmodi præſtare, res profectò eſt ſecundùm ſe admodum ardua, hominiqu; carnali difficillima; dicitur nihilominus lex Euangelica onus leue, & iugum ſuaue, quia eſt lex charitatis, quæ facit omnia ſuauiã & leuiã; ſed vna quoq; hæc eiufmodi eſt, quæ præ cæteris omnibus impigrè laborãtibus maxima ſubminiſtrat præſidia, quæque ſumma pro exiguo labore præmia dependit, & quæ denique cum Moſaica collata, ſimpliciter, id eſt, quod ait Dominus, onus nimirum leue & iugum ſuaue.

ARGVMENTVM SECVNDVM.

SINT ſanè, inquiunt, humanæ leges vtilis & ſalutares, aſt ad obtinendam Chriſti gratiam, ſempiternãq; vitæ hereditatem minimè videntur neceſſarię: Nam vt ſalute potiãre, ſat eſt, ſi mandata ſerues. Conſtat enim adoleſcentem, quid ſacto opus eſſet, vt vitam æternam conſequeretur, ſciſcitantem, tale reſponſum à Chriſto tuliffe: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Quod ſi quid eo amplius opus eſt, hoc totum plenè in Euangelio explanatum eſt. Sed & Dominus quoq; Apoſtolis non ſuas conſtitutiones prædicare iuſſit, ſed Euangelium: *Euntes, ait, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quod ipſi quoq; ea religione obſeruãrunt, vt iis anathema

Duriſſima erat ſeruitus, à qua per Chriſtum liberati ſumus.

Non ſatis eſt legem cognoſcere, ſed oportet eã, q̄ ſalutari fieri volunt, implere.

Lex Euangelica ſecundùm ſe abſolutè cõſiderata, non parum grauis eſt.

Quo ſenſu lex Euangelica dicitur onus leue.

Matth. 19.

Matth. vii.

n denun-

Galat. 2.

denunciare non dubitârunt, qui secus facerent; Si quis Euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, scribit Paulus; anathema sit. Acceperant autem ipsi Euangelium CHRIS TI. Præterea lex Euangelij non est minoris perfectionis, aut $\omega\lambda\theta\rho\phi\omicron\rho\acute{\iota}\sigma\acute{\iota}\varsigma$, aut autoritatis, quàm lex Mosaica; sed huic legi nihil adiciere, aut adimere licebat: Quod si quid per Phariseos, aut legis doctores ad illam adiectum fuerat, illud in conscientia foro obligatorium nõ erat. Deniq; sub lege naturæ bonæ leges non minùs erant necessariæ, quàm hac ætate. Sed Adam, Noë, Abraham, cæteriq; Patriarchæ nullas leges aut constitutiones, quæ vllam omnino vim conscientia adferrent, edidisse leguntur.

SOLVTIO II. ARGVMENTI.

PRIMUM argumenti huius membrum solutione non indiget. Fatentur enim, qui cum Luthero & Caluino faciunt, solâ Decalogi obseruationem ad salutem sat nõ esse. Sed neq; Decalogi quoq; lex vnâ cum Euangelio eâ ad rem sat est. Et dato sat esse, adhuc aduersarius causam aduersus humanas leges nõ obtineret. Nam vt fuisse supra expositum est, Euangelium seuerè mandat, vt maiorum statuta & legibus per omnia obediamus. Mandant idem quoq; Apostoli Euangelicæ doctrinæ interpretes longè fidsissimi. Euangelij vox est: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Qui Ecclesiã non audit, sit tibi tanquã ethnicus & publicanus. Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisei, omnia quæcunq; dixerint vobis, facite.* Apostolorum voces sunt: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. Filij obedite parentibus vestris in Domino. Honora patrem tuum et matrem tuam; quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & longæuus sis super terram. Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Item: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed et disculis.*

Luc. 10.

Matt. 23. 23.

Rom. 13.

Ephes. 5.

Ephes. 6.

Ephes. 5.

1. Pet. 2.

Rom. 13.

Matth. 23.

1. Pet. 2.

Deuter. 17.

IAM si, iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, obediendum est potestatibus sublimioribus, si Scribis & Phariseis, si parentibus, si dominis etiam disculis, cur non etiam summis pontificibus, cæterisque Ecclesiarum pastoribus & rectoribus? An non ipsi quoq; patres & sublimiores potestates sunt? quibus proinde æquè ac Christo ipsi honorem, reuerentiam, & obedientiam deferre obligamur? An non in lege veteri, quæ vmbra tantum fu-

turo.

turorum gerebat, capitale erat, si quis sacerdoti, qui pro tempore populo præerat, non paruisset? An non Apostolorum discipulus, idemq; illustris martyr Ignatius, perinde Episcopo obtemperandum docet, atque ipsi CHRISTO? An ob id forsan Episcopi, cæteri; Ecclesiæ ministri audiendi non sunt, quia vt Petrus & Paulus sancti non sunt? At quid hac excusatione adferri potest ineptius, aut quod cum CHRISTI, Apostolorum, Sanctorumque omnium doctrina, imò verò cum ipsa ratione pugnet magis? Nam si probis tantum obediendum est, cum de nullius probitate & sanctorum certò constet; vel nulla erit obedientia in terris, vel omnino exigua. Quid enim, si fortè parère nolis, facilius fuerit quàm superioris tui vitam in ius vocare? Est itaq; legitimis superioribus, qualescunque tandem fuerint, obediendum, & alacriter obediendū, & in omnibus, quæ illorum potestatem nō excedunt, neq; vllam mali speciem præ se ferunt, obediendum.

SED Apostoli, inquit, non proprias constitutiones, aut qualescunque humanas leges prædicare iussi sunt, & re ipsa prædicarunt; sed ipsum purum putumq; Euangelion tantum? Apostolis Euangelium prædicare iussum nemo inficiatur; Interim non id solum Euangelizare iussi sunt, quod quatuor Euangeliorū voluminibus comprehensum est; sed totum illud, quod Euangelicæ legi cōsentaneum, hominumq; saluti promouendæ idoneū videretur. Quāobrem quicquid Apostoli, per Spiritum sanctum edocti, verbo vel scripto orbi tradiderunt, hoc totum Christi Euangelium appellari potest; quia totum doctrinæ Euangelicæ in omnibus & per omnia consonum est. Ea propter cum Paulus ad Galatas scribens, ita ait: *Si quis Euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit, nequam eos anathemate ferit, qui ædificationis, aut explanationis causa aliqua in medium adferebant, quæ in Euangelio, vel in toto quoq; veteri, aut nouo Testamento prædita nō extabant; sed eos solum, qui Euangelio cōtraria, vel ab Euangelica doctrina aliena recens ad fidem conuersis instillabant. Cuiusmodi ætate Pauli erant quidam Pseudoapostoli, qui inter alia Euangelio contraria docebant, nemini salutem obtingere posse, qui legem Mosaicam vnā cum Euangelio non obseruaret.*

Quod aut Apostoli non id tantum prædicarint, mandarint, & ordinarint, quod Euangelicus contextus disertè offert; sed alia

n 2 præ-

Episto. ad Ma-
gnes

Matth. 23.
1. Pet. 2.

In quibus, et quo-
modo superioribus
parentibus.

Apostoli non id
solum prædica-
re iussi sunt, qd
quatuor Euange-
liorum volumi-
nibus compre-
hensum est, sed
totū illud quod
Euangelio con-
sentaneum est.

Galat. 1.

præterea multa, quæ expressè in Euangelio non continentur, id apud eos, qui iudicio & ratione vtuntur, eorundemq; scripta legerunt, extra omnem cõtrouersiam est; & si quis neget, facillimo negotio probari potest. Nam vt de eorum canonibus & constitutionibus, quæ iam olim orthodoxorum manibus teruntur, nihil dicatur, quàm multa in illorum scriptis extant statuta, præcepta, & ordinata, quorum nullum profus in toto Euangelio cõperitur vestigium. Vbi, quæso, hîc proditum est, hæreticum hominẽ post vnã aut alteram admonitionem vitãdum? Vbi ne Aue quidem eidem impertiendum? vbi, iuniores viduas nubere, seniores domus gubernationi incumbere, vtrasq; aut à curiositate & garrulitate se continere debere? vbi, mulieri publicè docere, aut detecto capite orare, viro autem comam nutrire fas nõ esse? vbi, digamũ, vinolentum, percussorem, inhospitalem, &c. ad sacerdotium vel Episcopatum promouendum non esse? vbi, Eucharistiam profanis escis miscere non licere? vbi à sanguine & suffocato & idolothytis abstentum oportere? vbi, sexcenta id genus alia, quæ Apostolorum monumenta subministrant passim.

Cvmitaq; Dominus Apostolos ad prædicandũ Euangelium in terrarum orbẽ amandauit, neq; iussit, neq; voluit, neq; conuenienter iubere aut velle potuit, vt ea tantũ prædicarent, quæ Euangelij litera prima fronte offert: (Siquidem per id tempus, & aliquot etiam annos postea nullum adhuc Euangelium exaratum extabat) voluit autem vt illa mundo annunciarent, quæ pertinet ad Euangelij statum, nullos illis prædicandi limites, aut modos præscribens. Quare etiam dubium nullum est, plurima illos docuisse, viaque voce tradidisse, quæ neque in Euangelis, neque in illorum Epistolis comperiuntur: Imò verò maior illorum pars nihil scripsit, & tamen omnes plurimos annos in Euangelij prædicatione insumserunt.

Quod de noua legis perfectione super Moyfi legem allegabatur, id gratis cõceditur; at nihil hæc concessio ad eneruandum humanarũ legum vinculũ. Nam etsi Iudæis nefas fuerit legi, quam per Deum à Moyses acceperant, aliquid addere, vel certò aliquid eiusmodi addere, quod substantiam illius mutaret, semper tamen licuit abstrusos legis sensus interpretari, verbisq; & exẽplis, quæ in lege difficilia videbantur, explanare & illustrare. Habebat enim

Iudæo-

Plurima mada-
ta decreta & or-
dinata sunt ab
Apostolis, quæ
in Euangelio nõ
continentur.

Ad Tit. 3.
2. Ioan. vlt. 10.
1. Tim. 5.
1. Tim. 3.
1. Cor. 11.
Ad Tit. 1.
1. Cor. 11.
Actor. 15.

Quenam Dñs
Apostolos vo-
luerit docere,
cũ eos ad Eu-
angelizandum
amandauit.

Quæ Iudæorum
doctoribus legi
licuit addere,
quæ item non
licuit.

Iudæorum populus æquè suos rectores & νομοδιδασκαλῆς, ac Christianorum cætus suos Episcopos & Pastores. Quin quædam quoq; peculiaris ratio vrgebat apud Iudæos, quæ non apud Christianos. Quandoquidem lex Mosæica maiori ex parte cæremonialis erat: cum autem cæremonia illæ ita haberentur inter sacrificia legalesque cultus, vt simul quoque futurorum essent symbola, solus Deus præfinire potuit; vt qui solus futurorum ex libera causa dependentium sit præsciens; sed & solus quoque definire debuit. Nam cum vetus ille populus, ex ingenita quadam leuitate, pronus esset ad omnem idolomaniam; si liberum illi fuisset quibuslibet ritibus ac cæremoniis vti, facilimo negotio in gentium ritus & superstitiones degenerasset. Fuerunt proinde eiusmodi ritus cultusque ipsi præstituenti, à quibus ne latum quidem culmen recedere fas foret. Veruntamen præter leges cæremoniales & iudiciales statas, Iudæi habebant constitutiones quasdam politicas & æconomicas non statas; sed pro locorum temporumque ratione mutabiles, quibus æquè morem gerebant, ac statas illis & quasi perennibus.

SIMILE quiddam de Adamo, Noë, Abrahamo, cæterisque, qui legem antecesserunt, coniecere licet: Nam cum illi vitam ducerent non modò politicam, rationiq; per omnia consentaneam, sed admodum quoque piam & religiosam, haud dubiè non viuebant sine ciuilibus legibus, sacrisque cæremoniis & institutis: Si quidem vita sine legibus, sine ritibus, sine cæremoniis & sacrificiis non hominum, sed beluarum vita est. Sed neque dubitare quoq; licet protoplastum, quæ de suo statu ante & post peccatum, de quo vero DEI cultu, nec non de peccatorum remissione ac mediato-
re venturo comperta habebat, ea viuâ voce liberis suis prodidisse: & hoc rursus aliis & aliis, donec tandem proposita & promulgata est lex scripta. Nec dissimulat id scriptura, tametsi pauca admodum de primo illo mortaliu statu commemoret: inter alia namq; filios Adami sacrificasse, ciuitatesque & familias instituisse explanat; At nihil horum sine legibus & cæremoniis fieri potuit. Leges autem frustra figuntur, si nemo illis parère obligatur. Pertinent huc quoque, quæ de Abrahamo eodem illo libro referuntur. *Nam, inquit DEVS, celare potero Abraham, quæ gesturus sum? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Do-*

n 3 mini,

Solus Deus Iudæorum cæremonias præfinire potuit & debuit.

Iudæi habebant suas quoq; leges & sanctiones politicas, publici magistratus auctoritate editas.

Patres ante legem Mosæicam non viuebant sine legibus ciuilibus & Ecclesiasticis.

Adamus multa tradidit posteris suis credenda, facienda, & obseruanda, quorum scriptura non meminuit.

Genes. 4.

Frustra leges figuntur si nemo illis parère obligatur.

Genes. 18.

mini, & faciant iudicium & iustitiam; & adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. Hæc sanè aperte agunt de legibus & cæremoniis, quæ in Abrahamæ familia & generatione obtinebant; Atque ita nihil allatum est secundo argumento, quod assertam veritatem vlla ex parte infirmet.

TERTIVM ARGVMENTVM.

INSTANT tertiò eiusmodi cavillatione Antagonistæ: Si humanæ leges & constitutiones in foro conscientia ad peccatum obligant, ergo, qui citra iustam causam, eas præuaricantur, ut plurimi solent; nam & multorum charitas hoc tempore reflexit, & leges ipsæ ob multitudinem obseruatu sunt difficiles; inobedientia crimen incurrunt, illudque minimè leue: siquidem legitimo magistratui nolle obedire, peccatum est admodum graue. Scriptum est enim: *Quasi ariolandi peccatum est, repugnare: & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere*, adeoque infirmioribus conscientis magis per eiusmodi leges laqueus iniicitur.

1. Reg. 15.

SOLVTIO III. ARGVMENTI.

SI hoc argumentum validè aliquid probat, probat omnino legem è medio tollendam. Quotus enim quisque seruat præcepta Decalogi, aut legem CHRISTI? Quod de humana fragilitate, legumque humanarum multitudine dicitur, friuolum est planè: Constat enim, populum Iudæorum eadem illa, vel maiori quoque imbecillitate laborasse, qua plebs Christianorum, neque ob id tamen DEVM Opt. Max. ab ingenti illa legum & obseruationum multitudine populum illum liberasse. Porro autem obedire nolle peccatum esse, illudque nequiquam vulgare, id nemo negat: siquidem obedire nolle, aliud nihil est quàm legem vel eiusdem auctorem contemnere. Qui autem legitimam potestatem spernit studiose eidem resistit, DEVM spernit: hic autem contemptus peccatum est longè grauisimum. Interim non omnes, qui in humanas leges præuaricantur, ex contemptu vel fastu in illas præuaricantur: Imò verò minima præuaricantium portio hoc sensu præuaricatur. Quotquot enim de præuaricationis causa examinantur, omnes statim allegant, aut carnis infirmitatem, aut infirmitatem, aut necessitatem, aut aliquid aliud eiusmodi.

Populus Iudæorum magno diuersarum legum & obseruationum onere premebatur & exercebatur.

Quid sit nolle superiorum parere, & quantum peccatum hoc sit. Non omnes, qui contra legem peccant, ex contemptu peccant.

SE D. & illi ipsi quoque, qui obedire nolunt, non eodem spiritu ducuntur omnes. Sunt enim qui ideo imperium detrectant, quòd legitimum magistratum ad iram prouocent, eiusdemq; præceptum vel legem flocci se facere palàm ostendant; & hi, quòd legitima potestati studio repugnent, Christumq; in suis vicariis apertè contemnant, grauisimè peccant; qualiscunque is demum fuerit, cuius mandatum tanta petulàtia proculcant. Sunt alij, qui manifesto errore occæcati, non obediunt, nec obedire volunt: quales sunt illi, qui soli Deo obediendum tradunt; vel illud solum obseruandum credunt, quod is per se proximè & specificè mandauit vel ordinauit. Hoc errore laborasse traduntur Indas Galilæus & Theodas, quorum in Apostolorum actis fit mentio; laborant eodem quoque non pauci ætatis huius sectarij. Comperiuntur inter hos tamen, qui non omne hominum imperium respuunt, sed Ecclesiastici Magistratus tantùm. Nā cum omnem, quam se habere putant, nullam enim spiritalem reipsa habent, à civili magistratu accipiant, non audent apertè profiteri nullam condendarum legum facultatem penes principes, aut politicos magistratus esse; legum, inquam, quæ ad peccatum obligent. Et hi quoq; non secus ac illi, qui ex contemptu imperium detrectant, grauisimè errant.

SUNT denique, qui superiorum mandatum manifestè non aspernantur, neq; honestis & licitis maiorum decretis obediendum esse diffitentur; attamen quòd suæ libidini, quàm superioris voluntati, obtemperare malint; vel quod laborem vel molestiam, quam præceptum offert, auerferentur; vel certè quòd oblatam peccandi occasionem haud negligendam existiment, legitimi magistratus præceptum scientes volentesq; infringunt: & hi quoq; inobedienciæ peccatum non euadunt. Nam etsi non ita apertè repugnent, vt primi; nec ita quoq; punitiosè, vt secundi, at repugnant tamen, & aliquatenus quoq; contemnunt; Nā qui potest obedire, & scit se obedientiam debere, & tamen non obedit, videtur absolute nò velle: quod idem est ferè quod còtemnere, vel repugnare: Adeoq; eiusmodi inobediens peccato sese contaminat, etsi non semper capitali; sed quandoq; capitali, quādoq; veniali, pro ratione materiæ, præcepti, contemptus, voluntatis præcipientis, affectus præuaricantis &c. siquidem non omnia, quæ iubentur vnus sunt

Non omnes, qui imperium detrectant, eodem spiritu & sensu ducuntur.

Imperium apertè detrectatium alij ex contemptu, alij ex errore illud detrectat, & vtriq; grauitè peccant. Actor. 5.

Sectarij plus detestantur magistratum politico quàm Ecclesiastico.

Omnis omnino verè inobediens ex parte contemnit.

sunt ponderis, aut necessitatis; neque causæ ad peccandum inuitantes æquè omnes sunt efficaces; neq; omnium præcipientium voluntas æquè est seria. Quare licet res leuis videri queat in qua Adam peccauit; (tantùm enim quò vxori gratificaretur pomum comedit) attamen quia DEVS, sub mortis interminatione, ne id faceret, vetuerat, pomum comedendo grauissimo scelere sese obstrinxit. Atque ita patet; nulli planè, nisi studio improbus esse velit, vllum omnino per humanas leges scrupum aut laqueum iniici, aut peccandi ansam offerri; atque ita totum, quod tertio argumento vrgebatur, nullius esse ponderis.

QUARTVM ANTAGONISTARVM
Argumentum.

AST nondum conquelescunt maleferiati homines. Qui, inquit, humanam aliquam constitutionem edunt, populoq; obferuandam proponunt, aut transgressores illius ad culpam aliquam obligare instituunt, aut tantùm ad pœnam, si ad culpam, præsertim mortiferam; rem à Christiana charitate alienam designat: Nam & viam, quæ ducit ad vitam coarctant, & multorum conscientias intricant, & infirmis parumq; cauis mortis poculum propinant, adeoque tyrannos veriùs quàm clementes principes sese declarant. Si autem leges, quas figunt, cum tanto onere nõ imponunt, & tamen leges ipsæ violatæ eiusmodi pestem adducunt, aliquam sanè pietatis & charitatis speciem præ se ferunt, re ipsa tamen ab vtraq; alieni videri possunt, vt qui iurisdictioni suæ subiectos, citra urgentem causam, non leui peccandi periculo exponant.

SOLVTIO III. ARGVMENTI

ARGVMENTVM hoc fundamenti loco sumit quædam, vt certa, quæ omnino falsa sunt. Constat enim nullum legislatorem legis suæ præuaricationem, aut præuaricatoris pœnam, aut eiusdem culpam, aut aliquid aliud eiusmodi intendere. Nam si quid horum per se vellet, quiduis potiùs quàm cordatum legislatorem se ostenderet. Intendit autem boni publici promotionem; aut pacis publicæque tranquillitatis conseruationem, aut fidei, spei, charitatis, reliquarumque virtutum custodiam & augmentationem, aut aliud hisce affine. Quare falsò infertur humanas leges (modò

Quid sibi proponant pro legislatores, dum legem aliquam promulgant.

(modò sint tales, quales esse debent) viam, quæ ducit ad vitam, coarctare, aut subditos grauari, peccandive discrimini obicere; neque enim salutis viam coarctant; sed dilatant. Neque, vt pharisaicæ constitutiones solent, grauant aut intricant, sed bene affectos mirificè recreant & subleuant. Sed neque Dominus quoque ob id Phariseos notabat, quòd leges ferrent, constitutiones eederent; sed quòd multas inutiles, minimèque necessarias eederent; editas magna cum seueritate ab aliis exigerent, cum ipsi interim eas ne digito quidem attingerent. Et cum eiusmodi essent adhuc tamen obseruari voluit. *Omnia, inquit, quæcunque dixerint vobis, facite.*

Cur Phariseos leges & constitutiones à Deo reprehensa.

Matth. 23.

VERVMENIMVERO quamuis legislator præuaricatoris culpam, aut eiusdem pœnam per se non intendit; sed bonum tantum Ecclesiæ vel Reipublicæ, vtrumq; tamen permittit: Vel, vt rectius dicam, neutrum impedit. Mallet sanè legislator publicam vtilitatem per legem, quam tulit, promoueri & conseruari; sed quia id quandoque obtinere non potest, non impedit, neque impeditum quoque vult, quòd minùs rei fiant culpæ & pœnæ, qui per legis præuaricationem bono publico temerè aduersantur. Et hæc voluntas iusta, diuinæq; legi per omnia consentanea est. Nam & DEVS quoque, cum legem aliquam fert, primò & per se non intendit aliquam culpam vel pœnam; absit; sed priuatum vel publicum eorum bonum, quibus fert legem; secundariò tamen vult legis suæ præuaricatores pœnis subiicere; quod æquum suæque iustitiæ & misericordiæ oppidò consentaneum est. Si enim peccata impunita permitteret, plurimi peccarent, qui nunc à peccato se continent. Notum est illud Poëtæ.

Et si legislator præuaricatoris culpam, vel pœnam non intendit, permittit tamè, vel non impedit.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

DICIS: habita humanæ fragilitatis ratione, legislator culpam saltem mortiferam impedire velle deberet. Non potest id efficaciter velle: nam hoc ipso quòd legi obnoxius legem iustam citra iustam causam, præuaricatur; necessariò peccat: lethalter quidem, si res, in quam peccatum cadit, est magni momenti; vel si actus, quo lex violata est, prodiit ex non vulgari contemptu; Venialiter verò, si peccatum in rem paruam lapsum est, vel citra plenam deliberationem certè cõflatum. Iam si peccatum admissum est, non potest legislator, nisi æquitati diuinæq; voluntati aduer-

Legem iustam citra iustam causam præuaricās, necessariò peccat.

farij

Constitutio tan-
tüm ad pœnam
obligans, non p-
priè ratiõis lex,
süt præceptum
est.

fari velit, illud puniri non velle. Potest sanè superior constitu-
tionem, aut sanctionem aliquam edere, quæ non obliget ad cul-
pam, sed tantüm ad pœnam; verùm talis constitutio non habet
vim absoluti præcepti, vel legis propriè dictæ, sed solum statu-
ti, vel admonitionis, vel exhortationis. Quod si qua eiusmodi
lex, vel præceptum est, non est illud absolutè, sed certa cum
conditione, obligans nimirum ad opus præceptum, vel ad pœ-
nam; vel multam præuaricatoribus constitutam. Exemplo id
declaro; cùm lex ita cauet; Quicumque arma gestare, pecuniam,
vinum, aut frumentum, aut aliud quodcunque eiusmodi extra
prouinciam portare deprehensus fuerit, exportatum amittat; non
simpliciter, ne quis arma portet, aut annonam exportet, inhi-
bet, sed multam dependere paratis, vel iacturæ periculum facere vo-
lentibus, deportandi vel exportandi facultatem quodammodo
indulget, adeoque deportans vel exportans non peccat. Secludi-
mus hinc casum, quo istiusmodi deportatio vel exportatio cum
publico detrimento coniuncta foret. Constat hinc ergo iustas
Reipubl. vel Ecclesiæ necessarias leges nihil profus continere,
quod vllam sapiat tyrannidem, aut crudelitatem, vel quod cum
vera pietate, aut Christiana charitate vllatenus pugnet.

QVINTVM ARGVMENTVM.

NEMO fallaci regula actiones suas confirmare obligatur: at
omnis lex humana suapte natura fallax & inconstans est, quem-
admodum ipsa quoque ratio, vnde proximè profluit. Sola autem
diuina voluntas semper recta & constans, semperque sui similis
est. Quod si qua creata voluntas recta, aut in bono constans est,
eam constantiam & rectitudinem ex se non habet, sed ex peculiari
DEI dono, quod paucis hoc tempore, quo tam rari per ostium
intran in ouile, eaque ratione vitam instituunt, vt diuini Spiritus
illustratione digni habeantur, obtingere solet.

SOLVTIO V. ARGVMENTI.

EST sanè sola DEI voluntas ex se semper iusta & recta, at hinc
tamen nõ sequitur; omnem omnino humanam semper iniustam
vel obliquam esse. Est enim quædam omnino iusta, & recta, &
sancta; etsi isthuc ex se non sit, neque ex se habeat, sed ex eo, vt in
argu-

argumento rectè assertum est, ex quo fluit omnis sanctimonia & recti ratio: nempe à DEO optimo maximo. Interim vt recta est, vndeunque tandem eam rectitudinem hauserit, rectam operandi legem vel regulam præscribere potest. Sed neque verum est quoque, quæcunque ex nobis oriuntur, ea errori & falsitati obnoxia esse, vel esse posse. Infiti namque habemus prima principia theorica, practica, quæ sunt certa & euidenter vera: Nec ipsa solum sunt certa & euidentia, sed etiam conclusiones, quæ euidenter inde deducuntur. Nec potest hominum malitia in hac vita tantum crescere, vt illa extinguantur; Tametsi multiplicatis in immensum sceleribus multum tenebrarum ipsis offundi possit.

At verò præter hanc internam veritatis regulam, quæ inflecti non potest, habemus aliam externam diuinitus nobis propositam, quæ ipsa quoque velut illustre quoddam sidus non solum quid facti vitæque sit opus, & alia præterea multa, quæ rationis lux assequi nequit, ostendit; verum etiam quales leges sint edendæ; tum quales sint eæ, quæ ab aliis sunt propositæ, planum facit. Quamobrem ineptum est ex eo, quod humanus intellectus errare, humanaque voluntas deprauari nonnunquam potest, inferre, homini Christiano liberum esse humanis legibus obtemperare, vel non obtemperare. Multum enim interest inter esse & posse, inter voluntatem obliquam & obliquabilem; inter intellectum falsum & falli idoneum; inter legem prauam & noxiam, & legem quæ eiusmodi esse potuit. At multò verò ineptius asseritur, bonis legibus, propter malam rectorum vel legislatorum vitam, nullam obedientiam deberi. Nam si improba vita ab obedientiæ vinculo absolueret, vix vlla prompta & plena, vt nuperrimè dicebamus, obedientia reliqua fieret.

SEXTVM ARGVMENTVM.

SUNT qui leges humanas eiusmodi argumento impetant. Homo capitale crimen pro merito punire nequit, ergo neque legem ferre potest, cuius præuaricatio eiusmodi pœnam promeretur. Ergo humanarum legum transgressio nunquam est lethalis, nisi qua forsitan ex illis diuinam, aut naturalem includat, aut earundem interpres existat.

Omnis voluntas
recta fluit à Deo,

Non omne id,
quod ab homi-
ne oritur errori
aut falsitati ob-
noxium.

Homo duplicè
actionum suarū
regulam habet;
vnam internam,
alteram exter-
nam.

Legifator legis
præuaricatorē,
neque pœnæ, ne-
que culpe inuol-
uit, sed ipfemet
præuaricator fe-
ipfum vtrique
fauoluit.

Vt Deus ad ho-
minum minifte-
rium confert vi-
tam, ita ad eorū-
dem minifteriū
infert mortem.

In quouis prece-
pto humano ex-
trinsecè admifce-
tur quiddam ad
naturale nec di-
uinum ius per-
tinens.

Fallitur qui hu-
manas leges ali-
ud nihil, quàm
quafdam tatum
diuinæ vel natu-
ræ legis interpre-
tes vel iudices ef-
fe dicunt.

AD hoc argumentum paucis responderi potest, legiflatorem legis fuę transgrefforem mortiferæ noxę, aut æterni fupplijcui non inuoluere. Sed ipfemet transgrefforē hoc ipfo fe ipfum vtrique inuoluere: quòd DEO in homine, iuxta expreffum illius mandatum, obedire animum non inducit, vel obftinato animo eidem refiftit. Sed neque verum est quoque, ideo hominem ad inferni pœnam hominem obligare non poffe, quòd eiusmodi pœnam per fe inferre non valeat: abundè enim fat est, fi per illum inferat, cuius personam in ferendis & exfequendis legibus fultinet. (Sunt enim omnes principes & legitimi iudices DEI miniftri, & certi quidam eiusdem τοῦ τοῦ θεοῦ.) Hoc autem hic locum habet. Nam vt DEVS ad humanum minifterium confert gratiam & vitam æternam, & tamen ipfe primarius vtriusque auctor exiftit; ita idem quoque illorum decreta per nefas violata, æterna mortis fententia plectit.

CVM verò inferunt, humanum preceptum nunquam ad mortiferum peccatum obftingere, nifi diuinum aut naturale includat, parum oculos fe ostendunt. Conftat namque, femel tantum interdiu cibū fumere; ftatis diebus à carnibus vel ouis abftinere; ferica feu lintea vefte indui; armis accinctum, vel inermem in publicum prodire; aliáque id genus innumera, quæ per leges humanas feuerè inhibentur, res efle, quod quidem ad naturale & diuinum ius attinet, planè indifferentes; adeóque humanis legibus feclufis, vnumquemque in iis omnibus contrariè & contradictoriè, citra vllam noxam, habere fe fe poffe. Negari tamen non potest, quin in quouis præcepto humano extrinsecè admifceatur quiddam, ad diuinum vel naturale, vel vtrumque fimul pertinens. Quandoquidem recta ratio dicitur, & lex diuina grauius quoque mandat, vt legitimis magiftratibus, iuftisque eorundem legibus & conftitutionibus ex animo, tanquam DEI miniftris, pareamus.

AT hinc tamen non fequitur, humanas leges ex fe, vel fecundum fe nullam obligationem adducere, fed diuinæ tantum vel naturalis legis iudices, & quafi interpretes efle, adeóque quod per humanas leges iubetur vel vetatur, iam antè per diuinum vel natu-

naturale ius iustum vel vetitum fuisse. Est enim istud omnino falsum, & à ratione planè alienum; nemo enim ambigit, capitalem noxam eos incurrere, qui die Veneris, vel alio, quo per Ecclesiæ statutum id non licet, temerè citra vllam legitimam causam, carnibus vescuntur; vel die, quo ieiunium indictum est, bis cibum sumunt; & tamen iure diuino, aut naturali neutrum horum est inhibitum.

OBLIGANT itaque humanæ leges ad culpam & pœnam, etiamsi diuinæ vel naturalis legis dictamen intrinsicè non includant; & ad culpam quidem lethalem & pœnam æternam, si id, quod absolutè præceptum est, res est ponderis minimè parui, insiugendam tamen non per hominem, sed per eum, cuius vice & auctoritate homo fungitur, hoc est, per DEVM; qui in omni humanæ legis præuaricatione non minùs contemnitur & offenditur, quàm homo, imò multò magis. Impossibile est em̄, vt à quopiam peccetur, neq; ipse tamen offendatur vel cõtemnatur. Iam si ipse quouis peccato contemnitur, quid mirum est, si iniuste offendenti, vel contemnti iustam inferat pœnam, adimendo illi gratiam, vel irrogando inferni pœnam?

In omni peccato contra proximum commisso, Deus magis offenditur, quàm homo.

SEPTIMUM ET POSTREMUM ADVERSARIORUM ARGUMENTUM.

NON defunt tandem, qui contra humanarum legum vim ita argumententur; omnis omnino sublimior potestas ad hoc à DEO ordinata & instituta videtur, quò populum legum seueritate contineat in officio; ne videlicet ex incitia vel malitia quippiam contra diuinam, aut naturalem legem committat; adeoq; magistratus, aut nullas, aut pœnales tantum leges edere debebat; quo ij nimirum, qui virtutis amore ad honesti studium non ducuntur, saltem pœnarum formidine huc adigantur. Tendit huc quoque Apostolus, dum publicos iustitiæ ministros in terrorem malorù, laudem verò bonorum gladium portare, Et alibi, legem non iustis, sed impiis & sceleratis positam esse, prædicat.

Rom. 13.

1. Tim. 1.

SOLVTIO POSTREMI ARGUMENTI.

HÆC Antagonistarum ratio maiorem partem iam antè soluta est. Dictum est enim, in legislatoris potestate positum non esse,

esse, eum à noxa immunem seruare, qui legem ad Ecclesiæ vel Reipub. salutem vel tranquillitatem necessariam, temerè præuaricatur. Additum est æquè, humanas constitutiones non esse meras diuini vel naturalis iuris determinationes, vt quidã non satis propriè loquuntur; sed veri proprii; nominis leges, quæ proinde verarum legum munus exercent; à quocunq; tandem calcètur. Sed nequè satis quoq; prospectum esset Reipub. si magistratus in eos tantum pœnas decernere posset, qui ius naturæ vel diuinum violassent: Oportet enim adesse leges, quarum ductu boni probique viri erudiantur, & ad perfectioris vitæ rationem promoueantur, & tuti nihilominus aduersus improborum insultus & machinationes reddantur: & per quas improbi tandem ab improbitate ad vitæ honestatem transferantur, vel certè vt minus sæuiant & insolentent, coërceantur.

Non satis prospectum esset Reipub. si illi tantum punirentur, qui diuinum vel naturale ius violassent.

Paucis humanis legibus opus foret, si omnes essent sancti.

SANE si omnes homines essent perfecti & in gratia cõfirmati, paucissimis legibus opus esset, verum quia primã illam innocentiam amisimus, & in multis hallucinamur & cæcetimur omnes, nostrapteque natura ad malum proni sumus; & quia multi comperiuntur simplices rerumq; rudes, omnino necessarium fuit, vt ederentur quædam leges & constitutiones, quibus in hoc corrupto vitæ statu ad vitam & societatem politicam informaremur, nec non ad pacem & tranquillitatem retinendam iuuaremur. Quamobrè cum Christus Dominus, & post illum Apostolus Paulus, de obedientia maioribus & sublimioribus potestatibus præstanda præcipiunt, nihil secernunt inter leges, sed simpliciter pronunciant: *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit, Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit &c.*

Lucæ 10.
Ad Rom. 13.

QUAE hætenus exposita sunt, ea satis indicant, nõ solum ius diuinum & naturale, si fortè violentur, pœnã & culpam adducere, verum etiam leges & constitutiones humanas. Cum ergo inter alias humanas cõstitutiones & leges extet ieiuniorum lex quoq;, prætermittere omnino non potuimus, quin de cõstitutionis huius ratione nonnulla in medium adferremus: nam præterquam quod disputationis series hoc deposcebat, proderunt hæc iis quoque non nihil, qui leui de causa indicti ieiunij legem præuaricantur, rati fortassis hoc vel illo die ieiunare vel non ieiunare rem esse parui momenti.

Ecclesiæ-

*Ecclesiasticorum ieiuniorum legem non solum obligare ad
pœnam, verùm etiam ad culpam, etsi non sem-
per ad mortiferam.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

PORRO autem licet Ecclesia, vbi de ieiuniorum ra-
tione agit, verbis, quæ expressam præcepti formam
præ se ferant, vti ferè non soleat, vtitur tamen tum
verbis tum sententiis quoque, quæ præcepti vim
insinuant. Neque enim aliud est facere, quod non licet; aut omit-
tere, quod fieri oportet, quàm peccare. At verò quicumque pec-
cat, necessariò præceptum aliquod infirmat: Siquidem Augusti-
no definitore, peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum
aliquod contra legem. Sacri autem Canones disertè pronunciat
ieiunium soluere non licere.

QVADRAGESIMA, scribit Greg. summa obseruatione est
obseruanda, vt ieiunium in ea, nisi quem infirmitas impediuerit,
nullatenus soluatur. At idè sonat Nullatenus soluatur, quod Nul-
latenus soluere licet. Idem rursus est Summa obseruatione ob-
seruanda est, quod summa obseruatione obseruetur necessum est.
Et Canone rursus proximo: Ieiunia in Ecclesia à sacerdotibus
instituta, sine necessitate rationabili non soluantur.

DENIQUE in Clementinis, Can: Exiui, inter alia, quæ ibidem
de præceptis ad peccatum mortale obligantibus disputantur, ha-
betur D. Francisci institutum professos, per ordinis ieiunia à ieiu-
niis Ecclesiæ, quæ cæteri Christiani seruare obligantur, non ab-
solui. Atqui omnis obligatio nascitur ex lege, vel præcepto, vel vo-
to, vel pacto, vel aliquo alio eiusmodi; Ieiunia autem in Ecclesia
vstitata non habent vim ex voto, vel pacto, vel alio simili, ergo ex
præcepto; nõ autem ex præcepto diuino aut naturali, saltem pro-
ximè & integrè, ergo ex præcepto Ecclesiæ.

Et vt ex locis iam citatis aliisq; similibus absolutum ieiunij
præceptum non colligi donetur, iusto tamen titulo negari nõ po-
test laudabiles, pias, sanctas, longòq; iam vsu apud omnes rece-
ptas consuetudines in foro conscientie æquè ferè ligare, ac ma-
iorum statuta. Notum est illud Augustini, In his rebus, in quibus
nihil

Quicq; peccat
præceptum ali-
quod infirmat.

De cõf. d. 5. can.
Quadragesima.

Homil 16. in
Euang.

Can. ieiunia.

De verb. signif.

Omnis obliga-
tio nascitur ex
lege, vel præce-
pto, vel voto.

Ep. ad Casul.

nihil

nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi DEI, & maiorum statuta pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinū, coercendi sunt. Atqui ieiunia non modò maiorum institutiones, vt iam antè ostensum est, sed longissimo quoque, totius Christiani populi vsu & consuetudine nituntur.

Ieiunia non tantum maiorū institutione, sed perpetuo quoque vsu nituntur.

AD hęc nemo dubitat, quin equè vel grauius quoque peccent, qui totum aliquod præceptum infirmant, ac qui vnā aliquam partem conuellunt; ex iis autem, quæ suprà disputata sunt, manifestum est, ciborum delectum Ecclesiastici ieiunij rationem ingredi tanquam substantialem vel integram eiusdem partem. Cùm ergo apud orthodoxos & eruditos criminis rei habeantur, qui die Veneris vel in Quadragesima, citra necessitatē & dispensationem, carnibus vescuntur, non poterunt profectò à noxa immunis haberi, qui nullam ieiunij partem obseruant. At quicumque peccant aliquam legem infringant, oportet: ieiunium itaque Ecclesiæ præcepti vim habet.

Ieiunij partes cadunt sub præceptum.

Pœnæ, quæ ieiunij temerè soluitibus irrogantur, illud sub præceptum cadere manifestè ostendunt.

DENIQUE suprà expositum est, cùm de legislatoris mente, aut de materiæ, circa quam lex versatur, ratione non satis constat, peccati præuaricatæ legis quantitatem ex granitate pœnarum, quæ legis præuaricatoribus decretæ sunt, spectandam esse. At verò pœnæ, quas Ecclesia iam olim in eos decreuit, qui indicta ieiunia temerè violant, sunt tantæ, vt maiores ipsa irrogare non queat. Apostolorum decretum in eos, qui citra causam ieiunia soluunt, editum ita sonat: Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non ieiunat; præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur; Si sit autem laicus segregetur. En hic laico anathema, Clerico exauktoratio, si fortè Quadragesimam non seruauerint, ab Apostolis decernitur. His autem telis nulli, nisi vel obstinati, vel grauibus peccatis obstricti, ferri solent.

Cano. 68.

Anathema ab Apostolis iis decretum, qui citra causam ieiunium soluunt.

COGNATVM huic est illud Conc. Moguntini sub Carolo Magno ante octingentos annos celebrati: Si quis indictum ieiunium superbiendo contempserit, & obseruare cum cæteris Christianis noluerit, vt in Gangrensi Synodo præcipitur, Anathema sit, nisi se emendare statuerit. Hęc autem non de solis ieiuniorum

Cano. 35.

con-

contemptoribus accipienda esse; sed de omnibus promiscuè, qui citra legitimam causam ea soluunt, patet ex gemino ieiunantium ordine, què hîc Moguntiacę Synodi Patres assignât, & ex canone rursus Concilij Gangręsis, ad quem iidem illi se referunt; habet is autem in hunc modum: Si quis eorum, qui exercentur absque corporali necessitate, se insolenter gerat, & tradita ieiunia, quę communitè seruantur ab Ecclesia, dissoluat, perfecta in eo residente ratione, anathema sit. Et hic quoq; Canõ anathema iis denunciat, qui communia Ecclesię ieiunia violant.

Cano. 19.

SED neq; multum quoq; ab his recedunt, quę Conc. Toletanum quartum de ea re commemorat. Quicunq;, cauet illud, in die passionis Dñi, præter paruulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, ieiunium soluerit, à paschali gaudio depellatur; nec in eo Sacramentum corporis & sanguinis Dñi percipiat, qui diem passionis eius per abstinentiã non honorauit. Constat enim neminem à paschali gaudio, aut à Dominici corporis & sanguinis communionem iustè arceri, qui graue aliquod peccatum non perpetrãrit. Mittimus hîc Conc. Cartag. quartum, quod Clericum, propter violatum ieiunium, è superiori gradu in inferiorẽ deiicit; Concilium Laodicenum, Concilium Triburiense, & alia, quę omnia magna cum seueritate Quadragesimale ieiuniũ indicunt, pœnasq; haudquaquam leues transgressoribus decernũt.

Cano. 7.

Cano. 63.

Cano. 50.

Cano. 35.

His Synodorum decretis magno consensu astipulantur veterum Theologorum sententię: Vix enim vnus ex omnibus competit, qui eos à delicto immunes pronunciet; imò verò qui grauius illos peccare nõ doceat, qui Quadragesimale, vel aliud quodcunq; ieiunium, ab Ecclesia indictũ, citra iustam causam violant.

AMBROSIVS: Quisquis Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam, præuaricationis & contumacię reus tenebitur, quòd legem diuinitus pro sua salute datam prandendo ipse rescindit. En hic Quadragesimale ieiunium lege indictum, & non ieiunantes præuaricationis reos asserit, & vtrumque in idem recidit: Siquidem omnis omnino præuaricator in aliquam semper legem præuaricatur; & omnis rursus lex vinculum aliquod legi subiectis iniicit. Quomodo autẽ lex hæc diuinitus sit data, vel qua ratione diuina appelletur, id idem explanat his verbis:

Serm. 34.

Omnis præuaricator in aliquã semper legẽ præuaricatur.

P RESCIN-

Veteres Christi exempli vel factum, statutum vel præceptum familiariter appellant.

1. Reg. 14.

Ieiunium à Saul indictum, & per errorem à Ionathâ violatum, grauissimè vincatum.

Lib. 2.
Cap. 14.

RESCINDIS enim legem, qui exemplum ieiunij Domini non custodis. Nam, vt alibi dictum est, Patribus familiare est, CHRISTI exemplum vel factum, legem, vel præceptum appellare. Subiungit autem; Qualis Christianus es, cum Domino ieiunante, tu prandes? Qualis Christianus es, cum CHRISTO esuriante, tu reficeris? ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis ieiunare formidas? Dicite mihi, interrogo vos, qui in Quadragesima prandetis, si non in conscientijs vestris rei estis, quod abstinate toto populo, vos soli contra præceptum Domini deuoratis? Quod antè appellauerat legem diuinitus datam, hic Domini præceptum vocat, eosque, qui Quadragesimam non ieiunant, in conscientia sua reos pronunciat.

AT verò quantum sit peccatum ieiunia Ecclesiæ, quæ ille præceptum Domini appellat, temerè violare, id exemplo ieiunij à rege Saulo vniuerso populo indicti, & à Ionathâ per errorem violati, eiusmodi verbis declarat: Cùm Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, & Ionathas filius eius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens fauam mellis, intincta scæptri summitate, gustasset, tanta indignatio repente commota est, vt & differretur victoria, & diuinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec Regi propheticum responsum datur. Vnde intelligimus, quòd Saul non tam virtute militum, quàm militum abstinentia superabat. Denique vnus culpa cunctis cõfertur ignauia, & vnus delicto omnibus generatur infirmitas: deficit enim virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunium. Quod peccatum vt Saul ex ipsa diuinitatis offensione cognouit, statim Ionathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione eius sanguinis expiandũ. Videte quanta apud Regem Saul fuerit religionis obseruantia, qui offensum DEVM optauit etiã parricidio mitigare? En quanta sit resoluti culpa ieiunij, quæ nõ nisi sanguinis effusione punitur? Et si ignorans Ionathas indictũ à patre ieiunium, qui resoluerat, morti addicitur, qui sciens indictum à Christo ieiunium resoluerat, quid meretur?

IMPETIT eodem hoc Ionathæ exemplo D. Hieronymus Iovinianum quoque. Verba illius ita habent: Saul, (sicut in Regum lib. 1. legitur) *Maledictus, inquit, qui ederit panem vesq. ad vesperam, donec voliscar de inimicis meis. Et non gustauit omnis populus eius, & tota terra prande-*

prædebat. Tantaq; fuit auctoritas stationis semel Domino destinata, vt Ionathas, qui causa victoriæ extiterat, deprehederetur sorte, & ignorantia crimine declinare non posset, patrisq; in se concitaret manum, & vix populi precibus saluaretur. Hæc Patres illi de ieiunio à Saulo indicto & à Ionatha imprudenter violato: & vterq; ad rem præsentem admodum opportunè. Quæ enim erat auctoritas Sauli, à Deo iam tum reprobati, si cum Ecclesiæ Catholicæ auctoritate comparatur? Quale rursus peccatû Ionathæ, qui inuincibili ignorantia laborans, paternû decretum violauerat, cum eorum scelere collatum, qui ex manifesto contemptu & fastu indicta ab Ecclesia ieiunia præuaricatur? Constat enim Ionathæ delictum vel nullum extitisse, aut omnino exiguum. Multauit illud tamen DEVS grauisimè, non quòd Ionathæ obedientiam multare vellet, Eâ enim re ipsa nulla extiterat, sed quòd mûdo patefaceret, quâ tum ipsi displiceant, qui legitimorû superiorum statuta temerè conuellunt. Quantum deniq; interest inter Ionatham, etiamsi id studio fecisset, quod imprudens fecerat, qui virgæ extremitate modicum mellis degustauit, spiritu præ lassitudine iam penè deficiente, & eos, qui ieiuniorum tempore, nulla necessitate cõpulsî; verum infana quadam arrogantia, præ fractaque contumacia moti, publicè carnes vorant? Sed quosdam adhuc alios ex eadem hac Patrum schola audiamus.

MAXIMVS: Sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbamus, hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum; sed diuinitus cõsecratum; neq; terrena cogitatione initiatum, sed cœlesti maiestate præceptum. Et paucis interiectis rursus: Hæc non tam sacerdotum sunt præcepta, quàm DEI, atque ita qui ea spernit, non sacerdotem spernit, sed CHRISTVM, qui loquitur in suo sacerdote. Et hic quoq; auctor duplicem rationem assignat, cur Quadragesimale ieiunium diuinitus institutum, aut cœlesti maiestate præceptum dicatur. Altera est, quia Quadragenario Moysi & Eliæ ieiunio fuit adumbratû, CHRISTI verò exemplo initiatum. Altera est, quia CHRISTI auctoritate per sacerdotes est indictum. Allegat autem ad hoc illud Luca; *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

AVGVSTINVS: Ego in Euâgelicis & Apostolis literis, totoq; instructo, quod appellatur nouû, animo reuoluens præceptû inuenio esse

Cur Deus ieiunium, à Ionatha imprudenter violatum ita grauitè punierit.

Serm. 36.

Duplex ratio cur Quadragesimale ieiunium diuinitus institutum dici queat & soleat.

Ep. ad Casula.

esse ieiunium. Quibus autem diebus nõ oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum. Et alio rursus loco de ieiunio ita scribit: Aliis diebus ieiunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui nõ ieiunat, sentiet pœnã. Et hic quoque clarè asseritur, qui Quadragesimæ ieiunium non obseruant, peccare, pœnãque meritum incurrere. Quo autem sensu ieiunium Evangelicum præceptum appellet, expositum est iam dudum antè.

In Quadragesima non ieiunare peccatum est.

Ser. 1. ieiun. 7. mens.

LEO primus Pontifex Maximus: Veruntamen huic studio adiiicienda est nostræ admonitionis adhortatio; vt si qui sunt in hoc exercitio tardiores, in his saltem diebus communi abstinentiæ se adiungant, in quibus nos oportet sacratissimam consuetudinem attentius celebrare; vt per humilitatem ieiunij, contra omnes hostes nostros, diuinum mereamur auxilium. Res est enim præcipui operis, quam ex auctoritate indicimus, & ex charitate suademus; vt paululum edendi libertate compressa, castigationi corporum, & pauperum studeamus eleemosynæ. Hæc Leo de ieiunio septimi mensis, quod, vt hic audimus, & ex charitate suadet, & ex auctoritate indicit: non quod iam dudum antè non esset indictum; sed quò indictum seruaretur religiosius, placuit præceptum renouare.

Ser. 1. de Quadr.

BERNARDVS: Hodie, dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Nõ nobis singularis est hæc obseruatio; Vna omnium est, quicumque in eandem fidei conueniunt veritatem. Quidni commune sit CHRISTI ieiunium omnibus Christianis? Quidni caput suum membra sequantur? An respuere tristia volumus, & communicare iucundis? si ita est indignos nos capitis huius participatione probamus. Omne, quod patitur ille, pro nobis patitur. Et infra: Qualis ille est non dicam Monachus, sed Christianus, qui minus deuotè suscipit ieiunium, quod tradidit ipse CHRISTVS? Hæc ieiunium præceptum esse disertè non affirmant, attamen hoc ipso quod CHRISTI traditionem, Christoque indignos prædicant, qui cum CHRISTO nõ ieiunant, satis indicant quantam ieiunia vim habeant.

Qui cum Christo non ieiunat, indignus qui cum illo triumphet.

Hom. 2. de ieiun. Ieiunij edictum vbiq; terrarum notum.

BASILIVS Magnus: Nulla est insula, nulla terra continens, vbi non sit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus, & viatores,

res, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt ieiunij edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à ieiunantium numero, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Angeli sunt qui in singulis Ecclesiis describunt, atque recensent ieiunantium capita. Duo asserit hoc loco Basilius; alterum horum est Quadragesimæ ieiunium esse indictum; alterum est, edictum hoc omnem ætatem, omnem hominum statum atque conditionem complecti.

EPIPHANIUS: A quo non assensum est in omnibus orbis terrarum regionibus, quòd quarta feria & profabbato ieiunium in Ecclesia decretum est? si verò etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quomodo illic ἐτύπωσαν, decreuerunt, quarta & profabbato ieiunium per omnia, excepta Pentecoste. Et de sex diebus pascatis quomodo præcipiunt nihil omnino accipere quàm panem, sale, & aquam, qualemque diem agere, & quomodo dimittere in illucescentè dominicam, manifestum est. Quis autem magis de his nouit hicne seductus homo, qui etiam nunc superest, & hucusque in mundo versatur, an qui ante nos testes fuerunt? Hæc Epiphanius de feriæ quartæ, sabbati, profabbati, & hebdomadæ sanctæ ieiunio.

PORRO quòd de sex dierum ieiunio ante pascha hîc asseritur, id non ita accipiendum est, quasi Apostoli Quadragesimum in sex dierum ieiunium redegerint: Iam antè enim audiimus sub exauctorationis & anathematis pœna 40. dierum ieiunium indixisse. Est autem referendum ad peculiare postremæ hebdomadæ ieiunium. Aliis diebus quotidie cœnabatur, sed postremis, nisi infirmitas aliud postulasset, inedia ad biduum vel triduum producebatur. Aliis rursus communes ieiunantium cibi admittebantur, sex vltimis panis tantum, & salis, & aquæ vsus concedebatur. Aliis tandem vsitatis stratis & lectis utebatur, sex postremis vel humi cubabant, vel in oratione pernoctabant.

FACIT huc quoque illud Theophili Alexandrini. Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis. Qui desidia & citò peritura voluptate studium virtutis infamant, nõ erubescunt clam vinum bibere, & auidis faucibus mulsam in cubiculis potare, ut inedia & ieiunia, quæ vltro appetere debebant, ieiuniorum tempore cum luxuria commutent. Et illud rursus Chryso-

p 3. stomi

Angeli describunt & obseruāt ieiunantes.

Hæres. 75.

Lib. 5. cap. 19.
Hebdomada sancta secundum Apostolorum sanctionem pane & aqua tantum utendū.

Multum olim intererat inter postremam Quadragesimam hebdomadam & alias quinque præcedentes.
Lib. 3. Pasch.

Serm. 1. de ieiun.

stomi: Ne putetis paruum quoddam lucrum esse ieiunium; ab vno ligno si abstinuisset Adam, si ab vno ieiunasset, mortua fuisset mors: imò non fuisset mortua, quæ non erat. Et paucis interiectis subdit: Quare occisi sunt filij Aaron sacerdotes? nonne quia in ministerio vinum gustauerunt? Quæ lex erat Nazæeorum? nonne abstinere à vino & omnibus, quæ inebriant? Quæ dicit huc tendunt: Vt Adam & Aaronis filij propter violatam abstinence legem morte mulctati sunt; ita Christiani, qui ieiunia à maioribus indicta temerè violant, iustas pœnas euasuri non sunt. Et illud tandem Apollonij: Ieiunia legitima non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit. At qui si ieiunia essent libera, non opus foret grâdem aliquam necessitatem expectare; sed quæuis etiam leuissima ad soluendum ieiunium fat esse posset.

Filij Aaronis ob violatam abstinence legem morte mulctati.
d. 3. conf. Ieiun.

QVÆ hæcenus ex Ecclesiæ decretis, veterumque scriptorum monumentis attulimus, ea planum faciunt, Ecclesiastica ieiunia non esse libera; sed præcepti necessitate ad salutem necessaria, adeoque noxa minimè leui illos sese obstringere, qui citrà vllam causam illa soluunt. Verùm quòd iuxta Apostoli doctrinam, non ij solùm morte digni sunt, qui malè faciunt; sed ij quoque, qui malefacientibus consentiunt, sit vt non illi tantùm in hac Ecclesiæ legem committant, qui ieiunium temerè per se soluunt, sed illi quoque, qui aliis, vt illud soluant vel contemnunt, auctores vel impulsores sunt; vel ansam aut materiam, vt soluatur vel contineatur, vtrò obtrudunt.

Rom. 1.

Qui ad soluendum ieiunium alios efficaciter inducunt, grauius peccant.

IMò verò magis interdum peccat, qui eum ad soluendum indictum ieiunium efficaciter inducit, qui alioqui ieiunaturus erat, quàm qui, citrà iustam causam, aut piam necessitatem, per se illud violat. Est enim illi non solùm vera & efficax causa, vt peccatum committat, sed occasionem quoque offert, vt de ieiunij lege erroneam opinionem concipiat. Alit secus de iis censendum est, qui quadam vrbantate, vel humanitate, vel hospitalitate moti inuitant quempiam, rati quòd salutis suæ memor non accumbet, vel quòd facultatem vel iustam soluendi ieiunij occasionem obtineat, vel certè quòd alibi ieiunium soluere certum delibatumque habeat. Quandoquidem tales non subministrant causam, vt ieiunium soluatur simpliciter, sed tantùm vt soluatur in tali loco; vel vt is illud soluat, qui citrà noxam soluere poterat vel

Magis interdum peccant, qui ad peccatum inducunt, quàm qui peccatum committunt.

vel qui se inuitari intelligebat, non vt solueret; sed quò hospitis sui promptitudinem & humanitatem inde disceret. Tutius est tamen ne tales quidem inuitare, & maximè eos, qui alibi cænare statuerunt.

ET quemadmodum ij, qui studio ad infringendum ieiunij præceptum inuitant, peccatum incurrunt; ita etiam patres & rectores familiarum cæterique omnes, qui ea illis, quorum curam gerunt, proponunt, per quæ ieiunium vel ciborum delectum, ad quæ alioqui obligantur, certò soluturi sunt. Nam etsi eiusmodi primum fortassis peccati fomitem non suggerunt, suggerunt tamen eius continuandi & explendi ansam; vtrumque autem est illicitum, & Christianæ charitati dissentaneū. Interuenit hîc enim tacitus quidam in alterius peccatum consensus.

HABVD multò leuius peccatum committunt hîc Caupones, & lixæ, qui ieiuniorum tempore non modò omnium votis vltro sese offerunt, susque deque ferentes, peccentne hospites an secus, dummodò ipsi sperato quæstu non frustrentur: verùm eos quoque, qui abstinere volunt, ad cænâ quadantenus compellunt. At verò si eiusmodi caupones, vel alij quicumque menfarum rectores idoneam causam extare animaduertunt, cur id, quo ieiunium soluetur, administrare conueniat, (vt si cernant eum, qui petit, senem, ex itinere lassum, infirmum, laboribus exhaustum &c.) non peccant, si cænâ eiusmodi administrant; sicut nec illi quoque, qui secretò illis carnes parant, quos bona fide iustas causas habere credunt, cur petant; esto isti causæ æquitatem non deprehendant.

INTER eos tandem, qui ad ieiuniorum præuaricationem concurrunt, illi quoque cenferi solent, qui domesticis vel subditis suis, nulla necessitate compulsi, ea ieiuniorum tempore onera imponunt, quæ ieiunium non ferunt, vel tam parcè cibum administrant, vt simul ieiunare & consueta munia obire non queant. nec iniuria: nam etsi propter ieiunium familiæ otium indulgere non teneantur, deberent tamen vel laborem diminuere vel annonam augere, vel vtrumque simul facere, ne Ecclesiæ præceptum contemnere, aut parui ducere viderentur. Constat hinc ergo, nò eos solum peccatum admittere, & illud quidem genere suo mortale, qui

Patres familias ieiuniorum tempore ea familiæ administrantes, per quæ ieiunium soluitur, soluti ieiunij rei sunt.

Qui caupones ieiuniorum feriis cibum administrantes grauius peccant; qui item à peccato excusantur.

Qui citra necessitatem ea onera familiæ imponunt, quæ ieiunium non ferunt, à peccato violari ieiunij immunes nò sunt.

qui ieiunia ab Ecclesia indicta temerè soluunt; sed eos quoque, qui aliis, vt soluant, causam adferunt. proximum est illorum rationes & argumenta proponamus & diluamus, qui ieiunij præceptum oppugnant.

Argumenta & rationes, quibus atatis huius sectarij ieiunij legem oppugnant, vel oppugnare certè possent, nihil euincere.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

PRIMVM ANTAGONISTARVM

Argumentum.

AST esto, inquit, Ecclesia præcepta vel leges, quæ temerè violatæ noxam adducunt, ferre queat, de ieiunio tamen eiusdemq; partibus eiusmodi sanctionem edere non debuit, nec iuste quoque potuit. Nam vt lex quæpiam absoluti præcepti robur obtineat, esse debet absolutè honesta, iusta, possibilis, secundùm naturam, & patrie consuetudinem lata, loco temporique conueniens, utilis, necessaria, manifesta, nullo priuato commodo, sed pro communi utilitate conscripta; eiusmodi autem conditiones in ieiunio maiori ex parte desiderantur. Nam ad primam conditionem quod spectat, quòd ieiunium per se non sit aliquid de genere honestorum, hoc est, virtus vel virtutis cuiuspiam actus patet; quia neque propter se expetitur, neque in rationis medio positum est, neque bonis proprium, sed malis cum bonis commune est.

Bona legis conditiones variaz.

SOLVTIO I. ARGUMENTI.

CONCEDI potest ieiunium absolutè sumptum, non esse virtutem, aut virtutis cuiuscunq; actum, vt quod multis modis malè præposterèque suscipi perficique queat. Concedi quoque potest eiusmodi virtutis actu non constare, qui absolutè propter se expeti debeat. Quis enim mente valens ieiunet, vt ieiunet? At hinc tamen inferri non potest, secundùm se turpe vel à virtute alienum esse. Nam vt malo & improbo, ita pio & sancto quoque animi instituto suscipi perficique potest: Rursum vt ad inhonestum, ita ad hone-

honestum quoque finem referri potest. Neque virtutis rationem illi adimit, quod alio refertur; constat namque pœnitentiam, perpetuam castitatem, voluntariam paupertatem, & quædam eius generis alia, alio referri, hoc est, propter se absolute non expeti, neq; ob id tamen è virtutum choro excludi. Quamuis ergo ieiunium non suscipiatur propter se, sed propter aliud; nempe vt caro spiritui subiugetur, mens ad DEVM eleuetur, vitium expietur vel præcaueatur, DEO tandem vel Ecclesiæ debita obedientia præstetur, non ideo tamen non est honestum, aut cum virtute coniunctum.

Quod de neglecto rationis vel virtutis medio in argumento additur, nihil est omnino: Siquidem virtutis medium non est sumendum secundum quantitatem, sed secundum rectæ rationis dictamen. Hæc autem suadet vti ob animi vel corporis morbum sanandum vel prepediendum, aut ob vtriusque commodum promouendum, minus interdum alimētorum sumamus, quàm communis alioqui abstinentiæ lex sumere permittebat. Nulla tamen ratio suadet, aut lex permittit, vt tantum ex iis rebus tibi adimas, quæ corpori sustentando sunt necessaria, vt valetudinem lædas, aut vt ad obeundum debitas functiones inutilem te reddas, aut vt vitæ periodum insigniter accidas. Quod si qui sunt, qui aliquod ex iis incommodis immoderato ieiunio sibi asciscunt, illi neque quantitatis, neque rationis quoque medium seruant, atq; ideo inter ieiunandum peccant; nisi forsitan excessus sit modicus, aut propter incensum CHRISTI amorem non animaduersus.

At ieiunium, inquit, malis cum bonis commune est? Est sanè, si externum ieiunationis actum tantum spectes, secus si ieiunantium animum consideres: Alio enim fine & animo ieiunant boni, alio mali. Quare licet idem vtrorumque ieiunium sit in genere naturæ, non est tamen idem in genere moris, etsi interdum idem esse queat. Nam licet impij & scelerati communiter non ieiunent, vt Ecclesiæ morem gerant, aut vt illicitos carnis motus comprimant, aut vt DEVM offensum placent, eidemue satisfaciant, vt boni solent, sed ob fines à virtute planè alienos; at possent tamen, si vellent, ob eiusmodi fines ieiunare. Materialiter proinde ieiunium vtriusque commune est, formaliter non item.

Actus quispiam non ideo non est studiosus, quod alio refertur, sed obq; propter se non exercetur.

Virtutis mediū non est sumendum secundum quantitatem sed secundum rectæ rationis dictamen.

Quid inter bonorum & malorum ieiunium communiter intercedat.

ARGVMENTVM SECVNDVM.

QVOD autem ieiunium sub peccati reatu indicere res sit iniqua, id facile animaduertemus, si pœnam & culpam inter se commitemus. Nam qualem, obsecro, æquitatis rationem præ se fert, propter vilem escam, quam DEVS creauit, vt cum gratiarum actione percipiatur, hominem CHRISTI sanguine redemptum, æternis suppliciis mancipare? Ad hæc hominem Christianum citra causam suo iure spoliare, res videtur non parum iniusta; at hæc ieiuniorum lege libertate, per CHRISTVM, & propter CHRISTVM nobis debita citra vllam iustam causam spoliamur. Mitto hîc legem de statis ieiuniis latam redemptionis beneficium vehementer obscurare. Hoc ipso enim quod vitroncis vel necessariis ieiuniis nos maceramus, CHRISTVM gratis mortuum & passum esse palàm indicamus, lex itaque ieiuniorum secunda bonæ legis conditione est destituta.

SOLVTIO II. ARGVMENTI.

SAEPÊ iam antè dictum, multisq; modis & rationibus ostensum est, Christiani hominis libertatem non esse eiusmodi facultatem, qua vnicuique quodcunque lubitum fuerit, facere ius sit. Siquidem potestas faciendi quodcunque vafana libido suaserit, non est libertas spiritus; sed licentia carnis, quæ Christianæ libertati aduersatur vt quæ maximè. Neque talem rursum, qua homini, absque omni prorsus difficultate & impedimento, sobriè, piè, ac iuste in hoc seculo viuere integrum sit: Quandoquidem ea ab omni impedimento immunitas vel miseriarum vacuitas, non est huius miseræ & corruptæ vitæ; sed gloriæ, vel status innocentia. Innumera sunt enim, quæ in hac mortali ac mutabili vita pios homines à pietatis studio præpediunt. Sed neque eiusmodi quoque facultas est, qua homo, quæ naturæ suæ vires non excedunt, seclusis impedimentis, potest velle & non velle, vel oppositum quoque velle; facere & non facere, & contrarium facere. Neque etiam potestas faciendi, quod ius vel vis facere non prohibet. Nam vtraque hæc libertas promiscuè comperitur in bonis & malis, libertas autem Christiana non inuenitur in malis, sed tantum in iustis Christoque per gratiam adiunctis.

In hæc vita non est plena libertas à tentatione & miseria.

Libertas Christiana non reperitur in malis & improbis sed tantum in bonis.

DEINQVE libertas illa Christiana, non est immunitas à seruitute corporali, quam ius gentium, vel lex ciuilis induxit; aut eiusmodi, quæ hominem Christianum à maiorum suorum lege vel imperio eximat; aut à vinculo dependendi iustum tributum, aut constitutum vectigal principibus publicisque magistratibus, absoluat. Nam eiusmodi vincula per Christianum nomen aut fidem non tolluntur, sed firmantur: *Serui*, inquit Petrus, *subditi estote in omni timore Domini, non solum bonis & modestis, sed etiam dyfcolis*. Pertinet huc quoque illud Pauli: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, & simplicitate cordis, sicut CHRISTO; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes*. Et illud rursus eiusdem: *Admone, illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse*. Et illud tandem eiusdem Apostoli: *Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa*. DEI enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat, DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit. Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, hoc est, vindictam, sed etiam propter conscientiam, hoc est, propter peccatum ex inobedientia natum, quod conscientiam vulnerat. subdit. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem*. haecenus Apostolus.

AT multò verò minùs libertas Christiana eiusmodi priuilegium, aut prærogatiua est, qua homo Christianus absoluitur à voto, vel iuramento, vel à quocunque alio ciuili vel naturali debito. Certum est namque hominem Christianum, Christiana libertate per omnia salua, multis se vinculis & obligationibus obstringere posse. Potest enim ducta vxore matrimonij iugo colla submittere; potest alteri suam operam locare; potest in spontaneam seruitutem sese tradere; potest aliis quàm plurimis modis, quam habet, libertatem imminuere. Est autem libertas Christiana quædam vacuitas vel immunitas ab ea seruitute & captiuitate, in quam primus generis nostri parens se totamque posteritatem suam imprudens coniecerat. Coniecerat se autem ceterosque omnes, qui olim originem ex eo tracturi erant, in peccatum & iniustitiam, in mortem & saeuam Dæmonis tyrannidem, in crassam rerum cœlestium ignorantiam, & in alias quàm plurimas animæ corporisque miserias & pestes; quæ omnia nos

q 2 nostra

Libertas Christiani hominis non est immunitas à seruitute corporali, aut legum humanarum onere, aut debito pecuniario.

1. Pet. 2.

Ephes. 6.

1. Tim. 6.

Rom. 13.

Quid propriè libertas Christiana.

nostra ignavia & malitia plurimum auximus, subindéque magis magisque augemus.

IT A Q U E Christiana libertate liberum esse, aliud nihil est, quàm per **C H R I S T I** gratiam & misericordiam à peccato, atque mortis reatu liberatum esse; ita ut ea libertate donatus non amplius seruiat peccato & Diabolo in iniustitia & immunditia, sed **D E O** summo totius creaturæ bono in iustitia & sanctimonia. Veruntamen licet homo per **C H R I S T I** gratiam liberetur à peccato & Diabolo, adeoque à sempiternæ mortis debito, non ea tamen perfectione à peccati reliquiis in hac mortali vita liberatur, ut ab omni statim miseria & pœna, omni que dæmonis insultu, & carnis concupiscentia immunis euadat, sed hætenus tantum, quatenus hæc ipsa, aliâque his cognata nullum amplius regnum in illo obtineant.

Nulla plena Spiritus libertas in hac vita.

V N D E licet **C H R I S T V S** Dominus multò plus commodi generi nostro attulerit sua obedientia, quàm Adamus incommodi sua inobedientia, Adamus tamen ante peccatum multò maiori libertate potiebatur in paradiso, quàm iusti in hoc seculo. Marent enim iustificati adhuc obnoxij vitæ huius miseriis, morti item & mortis prodromis; carnis, dæmonis, & mundi tentamentis; ignorantis, benéque agendi difficultatibus, humanis legibus & constitutionibus, & aliis quàm plurimis miseriis & pestibus, à quibus omnibus Adamus felici illo seculo immunis erat. Quare etiam non egebat tanta cautione, neque tot supernaturalibus præfidiis, ut in accepta semel iustitia perseveraret, quot temporis huius iusti, ut iustè semper sanctèque viuant & agant.

Adamus maiori libertate potiebatur in paradiso, quàm iusti si quis in hoc seculo.

Christianæ libertatis fundamentum & basis est Christi gratia.

Q U I A verò Christianæ libertatis fundamentum & quasi basis est **C H R I S T I** gratia, vitæque sanctimonia, fit ut hoc libertatis genere eò quisque censendus sit liberior, quò fuerit sanctior, & ab iis omnibus, quæ Christianam charitatem veramque sanctitatem præpediunt, vel ab illorum usu & exercitatione abstrahunt, expeditior. Eo rursus seruilior & à vera illa libertate alienior, quò vitis aut vitiorum fomentis extiterit plenior. Quamobrem exuere se à perituris opibus, abdicare se à curis & seculi vanitatibus, nuncium mittere nuptiis, vitam traducere sub seueræ disciplinæ legibus &c. Id Christianam libertatem adeò non infirmat, ut eandem plurimum quoque confirmet promoueatque.

Christiana libertate eo quisque liberior quo melior, & à peccatis eorundemque occasionibus expeditior.

Sicut

Sicut è diuerso pressum esse iugo coniugali, affluere mundi huius delitijs vel diuitijs, publicis munijs obeundis occupatum esse &c. Eandem libertatem maiorem in modum obturbat & eleuat: *Qui sine uxore est*, inquit Apostolus, *solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat DEO. Qui autem cum uxore est sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro suo.* Constat hinc ergo, carnem ieiunio; siue illud indictum, siue vltro susceptum sit, macerare spirituiq; subiicere, libertatem per CHRIS TVM nobis partam nequaquam labefactare, sed eandem maiorem in modum augere & exornare.

ÆQUE insulsè & vanè argumento attexitur, ieiunia, cæterasque carnis mortificandæ causa susceptas exercitationes Christi pasci meritum vel gratiam obscurare; Tantum enim abest vt ieiunia vel alia quæcunque Christianæ pietatis officia Christi gratiam, vel redemptionis nostræ beneficium aliquam partem obscurent, vt vtrumque insigniter quoque illustrent. Nam quicumq; Christiano pectore ieiunant, vel orant, vel eleemosynas erogant, ad vnum omnes profitentur & prædicant, nihil horum omnium rectè & pro dignitate præstare se posse, si Christi gratia careant; sed neque ignorant quoq; totum, quod hinc præstant, nullius aut roboris aut meriti apud DE VM fore, si CHRIS TI meritum hinc excludant. Huius enim solius donum & beneficium est, quod nostra ieiunia, nostræ preces, nostræ eleemosynæ, & reliqua opera nostra DE O placent. Omne meritum, omnis vis & energia, quæ illis tribuitur, ex CHRIS TI morte & merito fluit. Quod proinde si è medio sustuleris, omnem actionum nostrarum valorem extinxeris: Sicut ediuerso quoq; sublato omni adulti hominis opere, Christi meritum otiosum & inefficax in illo erit. Sed & fatendum est quoque, & fatemur libenter, singularis cuiusdam gratiæ & misericordiæ esse, illud ipsum opus tametsi ex gratia ortū, tanta mercede in altera vita pensari.

AT quid opus est verbis? si ieiunia Christi meritum obscurant cur ipse ea suadet? cur vtilem & fructuosum ieiunationis modum præfinit? Cur Apostolos sponso sublato ieiunaueros certò prædicat? Cur Apostoli ipsi ieiunia carnisque mortificationem

q 3 verbo

1. Cor. 7.

Ieiunia cæterasque carnis mortificationes Christianam libertatem augent.

Pietatis cuiuscunque generis officia, Christi meritū & gratiam illustrent.

Quodcunque opus Christi suadet, hoc illius meritum non obscurat.

verbo & exemplo tantopere commendant? Cur sancti Patres CHRIS TI legem edocti eiusdemque spiritu pleni, eam pietatis partem tam studiosè exercuerūt semper? Constat enim, quò quifque eorum extiterat sanctior, eò ieiunia excoluisse impensis. Cur denique ieiunia piè exculta tam admirabiles fructus, non solum in hac, sed in altera quoque vita, progenerant? Mitto hinc vefania quam sanæ doctrinæ similis videri, asserere, quod indomitos carnis motus reprimat, quod vitiorum fomitem restinguit, quod virtutem animo inserit, quod mentem ad DEVM subrigit, quod peccatorum reliquias exhaurit, quod DEVM denique peccatum placatumque nobis reddit, id CHRIS TI meritum obfcurare. At ieiunium probè excultum hæc omnia efficere probatum est iam olim prolixè.

Ad principale membri huius argumentum responsum est iam dudum antè; dictum est enim, legislatorem, dum legem Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilem vel necessariam fert, nullius pœnam aut culpam p̄ se intendere: Sed tantum boni communis promotionè, aut eiusdem cōseruationem, aut aliquid aliud eiusmodi; sed neque nouum est quoque, cibo vel potu interdicerè alicui sub graui aliqua pœna. Constat enim, Adamo, sub mortis comminatione, vt ab arbore scientiæ boni & mali abstineret, interdicitum fuisse. Sub pari pœna filiis Aaron indictum est, vt, dum sacris operarentur, vel aliàs in tabernaculo occuparentur, à vino & omni potu inebriante sese continerent. Sed & homini DEI vitæ adempta est, eò quòd fallacibus Pseudopropheta sermonibus circumuentus, cibum, contra DEI mandatum, in Bethel sumpsisset. Ionathas tandem, quòd contra præceptum paternum modicum mellis imprudens degustasset, mortem vix euasit. Non est ergo nouum aut ab humanitate alienum, pœnam alicui decernere & irrogare, propter cibum vel potum contra legem vsurpatum. Nam etsi res parui momenti sit bibere vel manducare, si hæc secundum se absolutè spectes, non est tamen res leuis, contra expressum mandatum bibere vel manducare: Quandoquidem contra expressum mandatum bibere vel manducare, nõ est tam manducare vel bibere, quam ipsum legislatorem vel legem contemnerè.

Non est nouum cibum aliquem sub mortis pœna interdicerè.

Genes. 2.

Leuit. 10.

2. Reg. 13.

1. Reg. 14.

Secundum se nõ est malũ comedere vel bibere, est tamen malũ & grane quoque peccatum cõtra expressum mādātum illud facere.

DICIS: De cibo & potu eiusmodi leges ferri deberent, quæ violatæ nullam pœnam vel culpam adducerent. Iam antè dictum est, leges, quæ calcatæ nullam adducunt pœnam aut culpam, non esse veri nominis leges, sed quasdam tantùm admonitiones vel exhortationes. Tum in legislatoris potestate positum non esse, temerarios veræ & iustæ legis præuaricatores à noxa immunes seruare: Siquidem temeraria legis præuaricatio intrinsecè noxam inclusam habet. Addo, eiusmodi leges conuenienter fortassis ferri potuisse aut posse, si omnes, quibus feruntur, essent sancti, vitæque & moribus integri; sed quia plerique eorum sunt nequam & refractarij, talesque qui neque **DEVM** metuunt, neque hominem curant, omnino opus erat aliquo pœnarum antidoto. Quandoquidem grauium pœnarum interminatione non obstante, multi adhuc comperiuntur, qui contra legis præceptum agere pro nihilo ducunt. Quid ergo futurum putamus, si in legis præuaricatorem nulla pœna decreta fuisset? Nihil est ergo hæcenus allatum, quod iciuniorum legem iniustam esse probet.

Leges quæ temerè violatæ noxam nullam adducunt, nõ sunt veri nominis leges.

ARGVMENTVM TERTIVM.

CONTRA legis possibilitatem eiusmodi rationem instituunt; esto, nõnulli inter fideles inueniantur, qui præceptum hoc vtcunque explere valeant, maxima tamen mortalium pars citra incommodum explere nequit. Quandoquidem inter Christianos, ad quos solos lex hæc pertinet, plurimi comperiuntur pueri, iuuenes, elanguidi senes, ex morbo vel corporis constitutione debiles, rerum necessariarum inopes, duris necessariisque laboribus assiduè intenti, lactantes, vterum gestantes, aliiq; id genus complures; quos si ad iciuniorum legem compellis, si non perimis, grauius certè lædis; si autem omnes illos veluti impotentes à lege absoluis, vix paucos quos iciuniorum lex obstringat reliquos facis. At quorsum attinet legem ferre, quam nulli, aut certè paucissimi obseruare valent?

SOLVTIO III. ARGVMENTI.

Hoc argumentum, seipsum conficit: Nam si illi omnes à iciunij lege absoluantur, qui commodè iciunare non possunt, vt absolui

absolui hinc solent, ergo lex hæc non est admodum difficilis nedum impossibilis. Neque hinc tamen sequitur legem hanc esse superuacaneam; Quamuis enim multi sunt, qui ieiunium ferre commodè non possunt, reliqui tamen sunt innumeri, qui & possunt, & quibus spiritale hoc præsidium oppidò est necessarium. Addo veteres Theologos & Patres multò pauciores à ieiuniorum lege exemisse, quàm hoc tempore passim inde eximuntur. Nemo, clamabat olim Basilius Magnus, ieiunantium numero se subducatur, in quo generationes cunctæ, sexus omnis, ætas & ordo omnis includitur. Similia legas apud Bernardum, qui sexcentos fere annos post Basilius in Ecclesia DEI floruit.

NON debuit autem lex hæc inter eos secernere, qui possunt commodè, & qui commodè non possunt, sed aliarum legum more, quæ simpliciter citra ullam limitationem aut exemptionem proponi solent, omnes qui commodè possunt, indiscriminatim obligare. Qui autem possunt commodè vel non possunt, id humanæ prudentiæ, quæ circa singularia occupatur, definiendum relinqui debuit, præcipuè vero eorum iudicio id permissum oportuit, quos DEVS Ecclesiæ suæ pastores & rectores instituit. Horum enim munus est legum Ecclesiasticarum vinculum, si fortè perplexum fuerit, explicare; vel si necessitas id postulauerit, in totum vel in partem tollere.

ARGUMENTVM QVARTVM.

LEGIS ieiuniorum inutilitatem quidam ex aduersariis ita oppugnant: Quod non leuem peccandi ansam subministrat, illud iusto titulo inter utilia censeretur non valet; ieiuniorum autem lex est eiusmodi. Constat enim perpaucos esse, qui indicta ieiunia seruent; multò verò pauciores, qui rectè seruent; At tam illi quàm illi, hoc est, tam ij, qui non seruant, quàm ij qui malè seruant, peccant. Peccatum autem magnum animæ detrimentum adfert. Sed & dato quoque, comperiri nonnullos, qui rectè ieiunent; attamen quod ieiunia habeantur inter cultus externos, corporalesq; exercitationes, per modicum ad pietatem conferunt. Notum est enim illud Apostoli: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Quod si qui sunt, qui ieiunium commendant, animoque & corpori salutare prædicant, illi non commendant illud corporale*

Olim multò pauciores à ieiunij lege eximiebatur quàm hæc ætate.

Serm. 66. super cant.

Quorum est Ecclesiasticarum legum difficultates enodare et explicare,

1. Tim. 4.

rale & externum, quod certo ciborum delectu, vnaque corporis refectioe constat; sed internum & mysticum, quod vitiis bellum indicit verius quam gulę aut ventri; Vel si externum quoque probant, non probant tamen supersticiosum illud, & penę Judaicum, quod hæcenus in Papatu viget, sed purum & Euangelicum; quale est, quod non est positum in dierum vel ciborum discrimine, verum in quadam spiritus libertate, mentisque & corporis sobrietate.

SOLVTIO IIII. ARGVMENTI.

EXIMIAM esse ieiuniorum vim & vtilitatem ex Scripturis & Patribus ostensum est iam antę; probatum est enim ieiunia pio animi studio suscepta, peccata, ne committantur, impedire; commissa expiare, ad paradysum, vnde propter inuiolatum ieiunium expulsi fueramus, reditum præstare, mentem ad DEVM eleuare, promerita supplicia redimere, impendentes plades arcere, magna DEI beneficia impetrare, sanitati denum vtriusq; hominis plurimum conferre. Qui ergo ieiuniorum legem plus incommodi quàm commodi adferre deblaterant, non modò ab omni pietate alienos sese ostendunt, verum etiam Ecclesiam & Apostolos, qui ieiuniorum leges ediderunt, aperta iniuria afficiunt.

CAETERVM peccata, quæ non ieiunantes vel malè ieiunantes committunt, ea ex ieiuniorum lege non proueniunt, sed ex peruersa nõ ieiunantium vel malè ieiunantium voluntate. Quod si ieiunij legem ob id è medio tollere oportet, quòd nonnulli, vel multi quoque cum salutis suę detrimento ea non seruant vel malè seruant, è medio tollere oportebit omnes diuinas humanasque leges; Paucissimos enim comperias, qui integrè religioseque eas seruent. Quod si qui sunt porrò, qui malè, hoc est, præposterè ieiunant, quales sunt, qui ieiunio errorem vel vitium aliquod admiscant, illi, vt in aliis fieri solet, de errore vel vitio admoneantur; nihil enim tam bonum aut sanctum est, in quod abusus quispiam irrepere non valeat.

DICTIS: Comperiantur, qui maioris interdum faciunt ieiunia, & alia quædam Ecclesia statuta, quàm DEI aut legis naturę decreta; Ecclesia autem eiusmodi errorem aded non emendat, vt factò quoque eundem confirmet; Constat enim acrius

Ingētia sunt commoda, quę ieiunia adferunt.

Apostolos & Ecclesiam iniuria afficiunt, qui ieiunia plus incommodi quàm commodi adferre dicunt.

Peccata malè ieiunantium, vel nõ ieiunantium, non oriuntur ex ieiuniorum lege, sed ex praua hominum voluntate.

Cur Ecclesia
suarū legum &
statutorū trans-
gressionem gra-
uis nōnunquā
punit, quā di-
uinorum prece-
ptorum præua-
ricationem.

eos plerunq; punire, qui sanctiones, quas ipsa edidit, præuarican-
tur, quā eos, qui diuinum vel naturale ius violasse deprehensi
sunt. Sit ita, tametsi negari queat; at non ideo errat, aut factio suo
vllum omnino errorem confirmat. Nam quod sua quā D E I
præcepta studiosius quandoque vindicet, non ea de causa hoc fa-
cit, quod sua grauiora, aut salubriora, aut magis necessaria cen-
seat, absit, sed quod quorundam errori obuiam itum, rudium quæ
saluti consultum cupiat. Nam qui, citra vllam profus necessita-
tem, die Veneris, vel alio tempore, quo id non licet, carnes vo-
rant, vel cum excommunicatis liberè communicant, vel festa ab
Ecclesia indicta temerè violant, vel aliquid aliud contra Ecclesie
decreta designant, indicium haudquaquam obscurum faciunt,
secus se de Ecclesie potestate & auctoritate sentire, quā Ca-
tholicos decet. At si quid est vsquam, quod hæresin sapit, hoc
Ecclesia nequaquam dissimulare aut impunitum relinquere de-
bet; multo verò minus manifestos errores. Facit hoc ipsum quo-
que ad salutarem aliorum terrorem: Quandoquidem si eiusmodi
temeritatem relinqueret impunem, tota illius auctoritas paula-
tim vilesceret, & in apertum contemptum abiret, quod vtiq; ce-
deret in magnum Christianæ religionis detrimentum. Hoc au-
tem periculum in præceptis diuinis, vel iuris naturalis locum non
habet. Omnes enim intelligunt & profitentur D E O & legi na-
turæ obtemperandum esse.

Sola per se cor-
poris exercita-
tio parum con-
fert ad salutem.

C V M verò inter cætera allegatur, externum cultum corpo-
risque exercitationem externam spiritali vitæ parum per se con-
ducere, id allegatur, quod certa quadam ratione concedere licet.
Certum est enim, cultum externum interno cultu destitutum
parum prodesse: Quemadmodum parum quoque potest corpo-
ris exercitatio, si desit feruor spiritus. Verum vbi externum & in-
ternum, corporale rursus & spiritale, simul cōiunguntur, ibi mi-
rabilia operantur. Christiani autem dum ieiunant, si tamen Chri-
stianè, hoc est, rectè ieiunant, ita corpus exercent, vt tamen spi-
ritum non negligant. Nam etsi proximus ieiuniorum finis est
corporis extenuatio, motuumque carnalium compressio, pri-
marius tamen ieiunantis scopus est vitiorum mortificatio, men-
tisque & spiritus ad D E V M eleuatio, cæteraq; quorum supra iam
meminimus.

PORRO

PORRO autem dum Apostolus Timotheum instituens, corporis exercitationem ad modicum utilem prædicat, nequaquam carnis mortificationem, quam alibi serio commendat, ipseque familiarissimam habebat, damnat, aut dissuadet: Verum charissimo discipulo, qui hac in parte nonnihil excedebat, frænum iniicere studet. Nam cum is debilis & valetudinarius esset, neque secus tamen ieiunio & abstinentia ac sanus quispiam sese maceraret, fiebat ut alia, quæ ad pastorale munus pertinebant maiorisque momenti erant, minus promptè alacriterque obire posset. Suadet proinde Apostolus, posteaquam vtrumque per valetudinem commodè præstare non potest, ut hoc potius quam illud remissius vsurpet; præfertim cum expriuato vnus ieiunio exiguum commodum in alterum redundet: ex prædicatione autem & oratione plurimum. Atque istuc omnino sonat oratio, qua Apostolus vtitur: Non enim dicit corporalem exercitationem ἀνωφελιμον, hoc est, inutilem esse, sed πρὸς ὀλίγον ἀφελιμον, hoc est, ad modicum utilem: Vult autem per hæc significare, utilitatem illius minus latè patere quam aliarum virtutum; & earum præcipuè, quæ ordinem ad alterum sortiuntur. Huc quoque tendunt, qui ieiunia inter minora bona censenda asserunt.

QUANDO verò Patres internum tantum & mysticum ieiunium commendare asserunt, insigni vanitate sese imbutos ostendunt: Constat enim quotquot de ieiunio ex instituto scripserunt, aut docuerunt, ad vnum omnes de externo scripsisse & docuisse, Etsi non de hoc solo: Norant enim externum vel corporale interno & spiritali destitutum parui momenti esse. Externum autem interno destitutum dicitur, cum non solum cæteris virtutibus homine Christiano dignis orbat; sed scelere quoque vitæque turpitudine contaminatur. Cuiusmodi ieiunium DEO, qui sacrificantis animum spectat potius, quam ipsum sacrificium, gratum esse non potest. Neque est hoc ieiunio peculiare, sed ipsi cum omni honesto officio, quatenus in exteriori actione versatur, commune. Nullum enim opus, quantumlibet heroicum, DEO placet, si quocunque notabili vitio pollutum est.

1. Tim. 4.

Quo sensu & occasione Apostolus corporis exercitationem ad modicum utilem esse scribat.

Quomodo ieiunium externum seu corporale, interno destitutum dicatur.

T 2.

TANDEM

Aliter sectarj,
aliter ortho-
doxi vsurpant ꝑ
Euangelicum.

TANDEM cū illos, qui corporale ieiunium commendant, purum tantū & Euangelicum commendare asseuerant, illud asseuerant, quod nulli negant. Certum est enim, nullum vnquam Theologum, Iudaicum aut aliud quodcunque superstitiosum ieiunium commendasse. Interim Antagonistæ ꝑ purum & Euangelicum purè & Euangelicè non exponunt, sed impurè & hæreticè. Non enim ob id Christianorum ieiunium Euangelicum appellatur, quòd vnique liberum sit ieiunare, quando velit, & quantum velit, & quomodo velit, quomodo ipsi ꝑ Euangelicum exponunt: Verū ob id hoc nominis fortitur, quia in Euangelio insinuatū, & à CHRISTO Euangelij conditore commendatum, & vsurpatum est, & quia ab Apostolis legitimisq; eorundem successoribus ad normam Euangelicæ legi conuenientem institutum, grauique sub pœna omnibus, qui possunt, ab eisdem iniunctum est; & quia constanti eorum vsu, qui vnquam Euangelio paruerunt, validissimè confirmatum, & familiarissimè vsurpatum est; & quia tandem ad finem Euangelio proprium, qui est charitas, omne Christianorum ieiunium referendum est. Nulla sunt ergo, quibus ieiuniorum vtilitatem oppugnant, aut eorundem inutilitatem persuadere laborant.

ARGVMENTVM QVINTVM.

IEIUNIORVM necessitatem eiusmodi telo impetunt. Quicquid fieri potest per ieiunium, hoc ipsum per vestium asperitatē, per crebras vigiliās & lucubrationes, per assiduas preces, frequentesq; peregrinationes, per improbos labores, aliasq; eiusmodi corporis vel spiritus exercitationes fieri potest. Sed & multi quoque comperiuntur, qui carnis mortificatione, aut corporis extenuatione non admodum indigent, vt illi omnes, qui nullam aut perquam exiguam carnis aduersus spiritum luctam sentiunt, nullūque debitum, pro quo DEO satisfaciunt, aut vitium, quod per ieiunia exhauriant, contraxerunt; vt ergo ieiunia, his positis, non sunt necessaria, ita lex de ieiuniis lata videri possit superuacanea.

SOLVTIO ARGVMENTI V.

NVLIVS vnquam mortalium ad eam vitæ sanctimoniam in hac vita euasit, aut euasurus est quandoque, vt ieiunando vel orando
vel

vel aliud eiusmodi opus præstando proficere non queat: Nam vt eos quispiam progressus in spiritali vita fecerit, vt nullos vnquam carnis stimulos, nullam amplius eiusdem rebellionem sentiat, (id quod citra peculiare priuilegium contingere non solet: Quandoquidem vsque ad cineres fomes & mala libido carni nostræ cohererent: Quare etiam Ecclesia anathematis eos condemnat, qui hominem ad tantam perfectionem in hac vita deuenire posse contendunt, vt amplius proficere non valeat) adhuc ieiunia suum locum obtinerent, & illum quidem iustum.

QVOMODO? dicam paucis. supra prolixè ostensum est, ieiunia non solum valere ad carnalium desideriorum mitigationem, mentisque ad DEVM sublationem; verùm etiam ad alia complura æquè atque hæc ipsa ad vitam salutemque vtilia vel necessaria; puta ad gratiæ augmentationem, ad impetrandam plenam à DEO peccatorum remissionem: *Siquidem in multis offendimus omnes, & si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est;* peccata autem & offensæ citra pœnam non expiantur. Tum rursus ad depellendam communem vel priuatam aliquam cladem; ad præstandam debitam Ecclesiæ obedientiam. Nulla enim perfectio est tanta, quæ hominem Christianum à maiorum obedientia eximat. Imò verò quò quisque fuerit perfectior, eò CHRISTI exemplo in omnibus obsequentiorem præstare se debet. Tum denique ad aliorum exemplum publicamque ædificationem. Effet enim res pessimi exempli, Ecclesia tota ieiunante nolle se aliorum moribus accommodare.

SED neque indicitur quoque ieiunium eiusmodi remedio indigentibus, (tametsi omnes aliquatenus eo indigeant, vel vt lapsi plenè resurgant, vel certè ne in peccatum aliquod prouant) sed omnibus promiscuè, qui ieiuniorum legem citra graue incommodum obseruare valent. Frustra proinde vitæ perfectio ieiuniorum necessitati opponitur. Sed aiebant; per aliud totum id fieri potest, quod fit per ieiunium. Primò negari istud potest: Sunt enim morbi, qui solo ieiunio sanantur. Deinde vt fieri id possit, non æquè tamen commodè potest, vt fatentur omnes. Postremò de aliis illis, aut lex aliqua ferri debuit, aut nulla omnino; si de aliis ferri debuit, cur non etiam de ieiunio? si autem non debuit, quis sponte vsurpabit? An non seuerè iniuncta vulgò præstantur

Nullus mortalium in hac vita peruenit vnquã ad summũ, hoc est, tantum profecit, quin plus proficere poterit.

Ad nostram; de hæc, in Clem,

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 1.

Nulla perfectio est tanta, que hominem liberet à maiorum obedientia.

Ieiuniis non indicitur tali medicamento egentibus, sed omnibus ieiunare valentibus.

stantur negligentissimè? quid ergo fieret si nihil extaret præceptum?

ARGUMENTVM SEXTVM.

QVOD autem ieiunia præsertim diurna, non sint secundùm hominis naturam, id eiusmodi argumentatione probant. Constat naturam nostram post peccatum effectâ esse infirmam & debilem, multisque miseris & morbis obnoxiam. Constat certa nihilominus experientia multos sæpe propter ieiunia in graves ægrotudines incidisse. Constat tandem Ecclesiam, animaduersâ humanæ naturæ imbecillitate, multa temporis lapsu de ieiuniorum rigore remisisse, multosque ab ea lege absoluisse, qui olim religiosè illam obseruabât. Hæc autem clarè ostendunt ieiunium non esse secundùm ieiunantium naturam.

SOLVTIO VI. ARGUMENTI.

ET SI aduersario concedi queat, ieiunium non esse secundùm hominis naturam, vt animal tantùm vita sensûque præditum est: siquidem per ieiunium adimitur aliquid corpori, quod salua temperantiæ lege concedi eidem poterat; Est tamen secundùm hominis naturam vt animal mente & ratione ornatum est. Quandoquidè vt animo & corpore valeas, vel rectius valeas, ratio suadet vt ab iis omnibus abstineas, quæ citra vtriusque offensionem sumere non potes. Nam & bestiarum naturæ ductu, quò melius habeant, abstinent vno tempore à quibusdam, à quibus alio non abstinent. Sed & verè quoque defendi potest, moderatum ieiunium ad vtriusque partis sanitatem & integritatem multum sæpe conferre. Experientia namque compertum est non semel, qui frequenter abstinent agiliores vegetioresque euadere, & diutius nonnunquam viuere, quàm ij, quorum omne studium in vno hoc intendit, vt gulæ ventrique omnem curam cultumque deferant.

ILLVSTRE huius rei exemplum suppeditant, qui diluuium antecesserunt. Nam cum hi carniùm & vini vsum maiorem partem ignorarent, plerique tamen tot annorum hecatontadas vivebant, quot huius ætatis homines decades. Tum patres illi, qui seculo deserto vitam in solitudine transigebant: Quamuis enim ij durissimam vitæ rationem tenerent, in multos tamen annos ætatem producebant. Tum Hebræorum demum populus per deser-

Ieiunium rationali hominis vitæ consentaneum est, animali non semper.

Bestiæ & pecudes naturæ ductu abstinent quandoque à quibusdam, à quibus alias non abstinent.

Mediocris abstinentia producit vitam & conseruat valetudinē.

Diurnæ vitæ cause ante diluuium.

tum oberrans. Siquidē tantisper sanus & incolumis viuebat, dum cœlesti manna & aqua contentus erat: vbi primū verò manna fastidito ad carnes & cæpas Ægyptias anhelare cœpit, cœpit cum variis quoque miseriis & infortuniis confictari, ita vt ex tanta populi multitudine, quæ ex Ægypto egressa fuerat, duo tantum ad promissam terram peruenerint.

SE D quorsum antiquis cōmemorandis immoror? An non in omnium oculis est, qui gulæ ventriq; dediti, in comestationibus & ebrietatibus ætatem conterunt, eos variis subinde morbis, doloribus, & miseriis inuolui? & post longam molestamq; cū morbis confictationem miserè tandem miserum spiritum abiicere? Nam vnde dirns ille articulorum cruciatus, membrorum cōuulsio, capitis vertigo, oris grauiolentia, oculorum lippitudo? Vnde lepræ, morteq; repentine, & alia sexcenta id genus incommoda, nisi ex crapula & gula? An non dici solet: Plures interire crapula & ebrietate quàm gladio? an nō sanitatis matrem sobrietatem appellant antiqui? Ieiunium, scribit Basilius Magnus, est mētis pædagogus, ornamentum senibus, comes viatori, tutus conuictor, mater sanitatis. Nullus ab aqua grauatus est crapula, nullius caput doluit aqua grauatum: nullus alienis pedibus opus habuit in aquæ potu vitam degens, nullius pedes ligati sunt, nullius manus inutiles factæ sunt irrigatæ aqua.

NON multum ab his abscedit illud Hieronymianum; legimus quosdā morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proscriptioe bonorum ad simplicē mensam & pauperes cibos redactos, cōualuisse. Caruerant enim sollicitudine dispensandę domus & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animū. Et paulò ante hunc locum: Multi morbi ex nimia saturitate concitantur, multique impatientiam gulæ vomitu medentur, & quod turpiter ingererunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensurā impleuerunt, nisi citò ablatione sanguinis minuantur, in paralyfin & pessima morborū genera erūpere, & idcirco necessariā illis esse demptionem.

FACTI huc illud Chrysofomi quoque: Nihil sic iucundum est sicut cibus bene digestus; nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio: Sufficiencia quippe cū nutrimento & sospitatem simul

Luxus innumeros parit morbos.

Homi. 1. de Ieiū.

Sanitatis mater ieiunium.

Aquæ potu vitæ tolerans, alienis pedibus, aut manib; nō indiget.

Hoc notent podagrici.

Podagra inedia & mensæ frugalitate sanatur.

Homi. 29. ad Hebr.

pro-

procreat & voluptatem; abundantia verò morbum facit. Hæc illi de ieiunio & sobrietate sanitatis matre. Quòd igitur Ecclesia indulgentius hoc tempore cum ieiunantibus agit quàm olim, hoc ea de causa non facit, quòd ieiunium valetudini obstat: sed quòd modicum quid à filiis suis obtinere malit, quàm omnino nihil. Nam si nunc tam pauci religiosè ieiunant, cum tanta facta est remissio, quid fieret si Ecclesia antiquum rigorem vrgeret?

Cur Ecclesia indulgentius nunc agat cū ieiunantibus, quàm olim.

ARGVMENTVM SEPTIMVM.

PORRO autem quòd hæc lex ad patriæ consuetudinem non ita multum faciat, ad oculum penè patet. Quàdoquidem id consuetudinarium vel secundum regionis consuetudinem receptum dicitur, quod vel ab omnibus indiscriminatim, vel certè à potiori parte seruetur: atqui ieiunia Ecclesiastica, neque ab omnibus, neque à potiori Christiani populi portione seruantur; sed à paucis, idque tacentibus populique errorem & præuaricationem exemplo suo confirmantibus iis, à quibus ieiunia ortum traxerunt, et sunt Episcopi, Monachi &c.

SOLVTIO VII. ARGVMENTI.

Nulla omnino consuetudo, que per se bona sunt, mala efficere potest, neque quæ natura sua mala sunt, bona.

Legis vinculum rãdiu durat, quãdiu legislator illud cum ratione durare iubet.

MAGNUM esse consuetudinis robur fatentur omnes: At non est illud tantum, vt ea efficiat bona & licita, quæ secundum se sunt mala & illicita; vel vice versa, vt ea reddat mala, turpia, vel nefaria, quæ secundum se sunt honesta, hominèque Christiano digna. Quamuis ergo ieiunium generatim acceptum res sit quædam media; attamè vt ad animæ vel corporis salutem est necessarium, sua natura bonum & vtile est, & eius oppositum intrinsecè malum & noxium est, adeoque nulla contraria consuetudine vis eius aboleri potest. Eiusdem rationis est quamdiu absoluti præcepti rationem tenet; etiamsi huic vel illi secundum se absolute necessarium non sit; Nam vt maiorum præcepta contemnere vel petulantè iisdem obistere semper est malum, ita eo loco & tempore, & modo illis parère, quo iis parère obligaris, semper est bonum. Tamdiu autem præcepta vim obtinent, adeoque in foro conscientie obligant, quàm diu superior vel legislator absolute & cum ratione vult ea obtinere. Eiusdem enim est figere & fixum ex causa reuellerè. Voluntatem porrò suam legilatores manifestius ostendere

dere non possunt, quàm si legum suarum transgressores publicè puniant, aut veluti præuaricatores publicè obiurgent.

CVM igitur Catholicæ Ecclesiæ Pastores populum fidei suæ commissum, hoc vel illo die ex Ecclesiæ præcepto ieiunandum esse monere soleant; eosque qui indicta ieiunia non seruant non DEI sacerdotem, sed DEVM ipsum, qui per sacerdotem loquitur, contemnere publicè prædicent, & eos tandem, qui indictum ieiunium temerè violarunt, si non publicè, saltem in interno DEI foro puniant, satis planum fit ieiuniorum legem per quorundam malè ieiunantium consuetudinem necdum abrogatam esse. Quòd autem eiusmodi transgressores non publica semper pœna multentur, plures sunt causæ. Primò de eiusmodi transgressione non semper constat. Deinde vt maximè de ea compertum sit, non certò tamen semper constat, neque certò quoque constare potest de transgressione causa. Tandem propter præuaricantium multitudinem nimis onerosum foret, còtra omnes iuridicè procedere. In foro tamen interno nemo impunè præceptum hoc violat.

TANDEM si eos, qui indicta ieiunia religiosè obseruant, cum eis conferas, qui non ieiunant vel malè ieiunant, concedi potest non ita multos esse, qui rectè legique conuenienter ieiunent. Veruntamen si ritè ieiunantes secundum se absolutè consideres, multa adhuc hominum millia comperies, qui ieiuniorum legem probè seruant, sed & illi ipsi quoque, qui non plenè obseruant (nam syncerè Catholici aliquam semper illorum partem tuentur) intelligunt perperam & contra legem se agere, optarentque nullum ieiunium indictum esse: quæ omnia arguunt, prauam non ieiunantium vel malè ieiunantium consuetudinem ieiunij legem non sustulisse. Quod si qui inter Ecclesiæ proceres, aut monachos inueniuntur, qui non ieiunant vel malè ieiunant, illi nullam nobis helluandi vel non ieiunandi potestatem faciunt; nouimus enim scriptum esse: *Omnia, quæcunque dixerint vobis, facite: secundum opera autem illorum nolite facere.* Tametsi falsò quoque assertum sit, Episcopos vel Monachos communia Ecclesiæ ieiunia instituisse; non enim illi ea instituerunt, sed Apostoli, proximique eorundem successores.

Cur Ecclesia ieiuniorum legem nò seruantes publicè nò semper puniat.

Multa mortaliù millia ieiunia ab Ecclesia indicta probè adhuc obseruant.

Matth. 23.

s

ARGV.

ARGUMENTVM OCTAVVM.

QVOD autem ieiuniorum lex tempori & loco vniuersè non conueniat, id ex iis, quæ proximè contra hanc legem attulerunt, colligi posse contendunt; aiunt enim: Quod cum natura pugnat, & à communi mortalium consuetudine dissidet, quomodo illud cum tempore, aut loco consentiet? Rursum (& eòdem ferè spectat) si luxus & gula vbique hoc tempore principatum obtinent, vbi, quæso, ieiunium & abstinentia sedem inueniet? Denique negari non potest, quin multis locis ea desint, quibus Quadragesimæ onus tolerari queat; aut certè tã carè hoc tempore ea passim æstimari, vt mediocris fortunæ homines parare non valeant, nedum pauperes.

SOLVTIO ARGUMENTI VIII.

IAM antè ostensum est dilucidè, ieiuniorum legem cum hominum natura bene instituta, aut cum piorum consuetudine non pugnare. Pugnare autem cum Epicuræorum vsu & refractariorum more; verùm illiusmodi hominum consuetudo nequaquam earum est virium, vt legem aliquam firmare, aut infirmare valeat. Quòd si nihil hætenus de ieiunio cautum extaret, nullæq; leges aut consuetudines abstinentiæ à nobis exigerent, profectò nostra hæc tempora & loca, in quibus perpetua bacchanalia obtinēt, nouas ieiuniorum & abstinentiarum leges efflagitarent; nō tantum ob animarum salutem, quæ assidua illa helluatione & perpotatione vehementer offenditur; verùm etiam propter corporum sanitatem, quæ maxima incommoda hinc hauriunt.

CAETERVM quando in eiusdem argumenti patrocinium allegatur, multis locis deesse oleum, pisces, cæteraq; ad obseruandum ieiunium necessaria, nihil, quod alicuius momenti sit, allegatur. Nam passim vel hæc ipsa, vel alia his cognata comperiuntur, quæ etsi specie vel toto quoque genere ab illis dissident, Ecclesia tamen in aliorum locum clementer indulget. Sed & nusquam quoque desunt olera, legumina aliáque id genus complura, quibus solis ferè ieiuniorum tempore utebatur primitiua Ecclesia, & in hodiernum vsque diem vt feruntur ij omnes, qui ieiuniis dant operam in Armenia & Græcia. Quòd si pauperes manuum labore vitam

Nante hæc nulla ieiunia fuissent indicta ob animarum & corporum salutem, hoc tempore indici deberent.

Vnus leguminum frequens, in primitiua Ecclesia & Græcia ieiuniorum tempore.

vitam tolerant, vel alij quicumq; ad ieiunium necessaria parare non possunt, faciant quod possunt: Nō enim tenentur ad oppidō difficilia, nedum ad impossibilia: si qui, inquam, sunt, qui ieiunare & artem simul, quam ad alendam familiam tractare debent, tractare nequeunt, causa superiori indicata, ne ieiunēt; sed vel orent, vel aliud pium opus obeant. Verū vsu interdum venire solet, his p̄sertim locis, vt desint, quę ad ieiunium sunt necessaria, nec desint tamen, quę ad luxum & vanitatē fouendam sunt opportuna.

ARGVMENTVM NONVM CVM
eiusdem solutione.

IEIUNIORVM legem nō esse manifestam ex vario ieiunantium & ieiuniorum ritu inferunt. Si enim, inquit, lex hęc esset plana, idem seruaretur vbiq; & semper. Verū hęc collectio non est necessaria, neque ad infringendam ieiuniorum legem valida. Nam etsi in diuersis regnis vel prouincijs diuersus existeret queat ieiunandi ritus, in eadem tamen dicecesi, vel certē in eadem ciuitate non existit diuersus sed vnus toti populo communis. Quilibet autem, nisi DEVM, eosq; quibus cum versatur, offendere velit, eum ieiunandi modum seruare debet, quem obseruant viri sanctiores loci, in quo ætatem agit, etiam si hic modus cum primo ieiuniorum instituto, vel cum communi Ecclesię consuetudine per omnia non conueniat.

In ieiuniorum obseruatione quilibet se accommodare debet laudatę consuetudini loci, in quo versatur.

ARGVMENTVM DECIMVM
& postremum.

IEIUNIORVM porrō legem ob priuatum commodum primō conscriptam apertē dicere nō audent, tamen si qui impudentiores apud illos sunt, hoc quoq; interdum effutiant, interim legis huius exactores, hoc est, modernos Pontifices & Episcopos in ius vocāt; asserunt enim vna hac lege auctoritatē suā arroganter venditare, commodaq; non vulgaria ex legis huius relaxatione aucupari.

SOLVTIO DECIMI ET POSTREMI Argumenti.

PIAM, sanctam, & rectam eorum fuisse mentem & voluntatem, qui primō ieiunia indixerunt, nec aliud quicquam spectasse, quam

Quales fuerint,
& quis eorum scopus
exciterit, qui
primò ieiunia in
dixerunt,

quàm DEI gloriam & animarum salutem apud eos, qui de Ecclesia Catholica rectè sentiunt, extra controuersiam est. Nam si hi Apostoli vniuersè non fuere (nam præcipuorum auctores extitisse ex illorum Canonibus & Constitutionibus ostensum est iam antè) fuerunt certè proximi eorundem successores. Hos autem omnes non solum illustri sanctimonia commendat, sed immortalis quoque martyrij palma condecorat. Quare piaculum est non leue ea de sanctissimis viris euomere, quæ ne de vulgari quidem homine citra temeritatem suspicari liceret; puta lucri aut auctoritatis ostentandæ gratia hanc vel aliam quamcunque legem tulisse. Quomodo credi queat eos sæculi huius gratiam quæsiuisse, aut pecuniæ lucra consecutos esse, qui vt CHRISTVM lucri facerent, omnia quisquiliarum & stercoreum loco habebant? vnumque hoc grande lucrum ducebant, si quid pro CHRISTI nomine preferendum se obtulisset?

QVOD si qui Ecclesiarum rectores, qui hos postea consecuti sunt, quosdam quos iustam causam habere iudicabant, ab hac lege absoluerunt, vel etiam nunc absoluunt, & ieiunij loco aliquam pecuniarum eleemosynam iniungunt, aut aliquando iniunxerunt, non ob id statim veluti qui sua potestate abutantur, condemnandi sunt. Est enim in Ecclesia receptissimum iis, qui ieiuniorum onus ferre non possunt, ieiuniorum vice eleemosynam, aut preces, aut aliquod aliud pium & religiosum opus indicare. Verùm si qui essent, qui eiusmodi dispensationibus, non DEI gloriam, aut animarum salutem, sed proprium quæstum & gloriam quærerent, illos vtique nemo bonus probaret, nec vllò quoque iusto titulo probare posset, quin omnes potiùs inter dissipatores bonarumque legum euersores eiusmodi homines censerent.

QVÆ hæcenus explicata sunt, ea perspicuè ostendunt, legem de ieiunio latam, iustam, honestam, vtilem, cæterisque omnibus bonæ legis conditionibus ornata esse, atque ideo præuaricantium multitudinem non obstante, robur suum inconcussum etiamnum obtinere; Omnesque adeo, qui citra iustam causam illam præuaricantur, certam noxam pœnæque reatum sibi asciscere. Superest vt nonnulla de iis in disputationem proponamus, qui ex hac ieiuniorum lege eximuntur.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Quo docetur non omnes, qui Ecclesiastica ieiunia soluunt, prauaricatas a legis reatu constringi, sed eos solum, qui citra legitimam causam illud faciunt.

IEIUNIUM ab Ecclesia indictum, citra iustam causam violare peccatum esse, ostensum est hactenus. Qua autem ratione violetur istuc ex iis, quæ de ieiuniorum partibus supra disputata sunt, negotio nõ admodum magno colligi quiuerit. Conflatur enim totum ex suis partibus, neque potest vllum omnino totum perfectum existere, quod ex suis partibus simul sumptis integrè constitutum non sit; verum quò ea de re cõstet planiùs, antequam, quod capitis huius proprium est, exponam, pauca de dissolutionis huius viis & modis præmittam.

Totum conflatur ex suis partibus simul sumptis.

IGITUR indictum ieiunium trifariam solui contingit; vno modo, sola voluntate, altero modo, solo opere, tertio & postremo, opere & voluntate simul. Sola voluntate soluunt ieiunium, qui ea omnia, quæ ad intrinsecam ieiunij rationem faciunt, accuratè seruant, nihil eorum omnium seruaturi, si secus facere possent. Hoc modo ieiunant qui & sapiùs & citiùs & lautiùs quoque comederent, si ad manum haberent; sed quia quod animus malè appetit, facultas non suggerit, vel inuiti ieiunant.

Contingit ieiunium trifariam solui, opere videlicet & voluntate, & utroque simul.

CONTRA verò solo opere non etiã voluntate illud infringunt, qui vel crebriùs interdium, vel maturiùs, quàm ieiuniorum fert ratio, manducant, vel ab escis interdictis nõ abstinent, nihil horum facturi si ieiunium indictum esse animaduertent. Quorum proinde noxa pro ignorationis ratione, vel nulla est vel non admodum magna est. Opere tandem & voluntate simul illud violant, qui scientes volentesque vel omnia, vel aliqua ex iis non seruant, quæ Ecclesiasticum ieiunium intrinsecè absoluunt. Cuiusmodi sunt, qui vel sapiùs, vel maturiùs, quàm par est, cibum sumunt, vel escas pro temporis ratione inhibitas citra necessitatem & facultatem vorant.

Cuiusmodi sint qui ieiunium opere & voluntate simul violant.

PORRO autem ut illi, qui nulla aut mala voluntate, hoc est, non propter DEVM, sed propter auaritiam vel inanem gloriam, aut inappetentiam, aut aliam eiusmodi causam, quæ ieiunio intrinseca sunt, integrè seruantes, aut temperantię legem inter cœnandum vel prandendum excedentes Ecclesię ieiunium propriè non soluunt; (Quandoquidem cibi quantitas, & legis scopus sub Ecclesię præceptum non cadunt) ita illi quoque in legem hanc non committūt, qui siti compulsi ante vel post cœnam vel prandium vini aut ceruisiæ haustum bibunt. Nec illi rursus, qui manè aut vesperi, vel intra prandium & cœnam aliquid per modum medicamenti accipiunt. Nec illi item, qui pro muneris ratione dominorum esculenta, aut poculenta prægustāt; aut prandium inchoatum, neque tamen propter ministerium aliquod, aut aliquod legitimum impedimentum absolutum mensa reposita absoluūt. Nec illi tandem, qui seriis negotiis præpediti, prandio in noctem reiecto, modicum quid ante vel circa meridiem, quò diem durare valeant, sumunt: Siquidem nulli ex his omnibus vnā formalem corporis refectionem excedunt, atque ita ieiunij legem non infringunt.

SED nec illi quoque ieiunium soluere putandi sunt, qui pro loci consuetudine modicum quid vesperi accipiunt; siue id crudi vel cocti fructus sint, siue frustum panis, siue aliud quodcumque eiusmodi. Nam si in aliis Ecclesię præceptis patrię consuetudini conformare se licet, cur non etiam in ieiuniorum obseruatione? Modò tamen loci consuetudo eiusmodi non sit, quæ cum legis vel præcepti ratione apertè pugnet. Quandoquidem ad hunc locum quod spectat, nulla consuetudine à violatæ legis reatu excusare se possunt, qui Ecclesię indulgentiam in ieiunij fraudem trahunt: Cuiusmodi sunt, qui extra cœnam vel prandium concessis ea frequentia vel quantitate vtuntur, vt ligurire rectiùs eos dixeris, quàm religiosè ieiunare. Satis enim comperitum est, non solum carnibus, piscibus, ouis, &c. corpus refici, esuriemque sedari posse, verùm atro quoque pane, terræque fructibus, & aliis id genus escis, si copiosè ingeras.

ET quemadmodum ieiunij meritum perdunt, & legem eundem soluunt, qui ea quæ ante vel post cœnam vel prandium per modum

Legis finis sub
præceptum nõ
cadit.

Modicum quid
quocunq; tem-
pore sumptum
nõ infringit ie-
iunium.

Patrię consti-
tutioni confor-
mare se licet,
modò eiusmodi
consuetudo le-
gi non sit con-
traria.

modum medicamenti humanæ infirmitati indulgentur, in ieiunij fraudem transferunt; ita illi quoque vtrumque incommodum incurrunt, qui statam refectiois horam citra causam insigniter anteuertunt: Secus si causa non leui impulsu hoc faciunt. Nam ne iter facturus comitum commoditate careas; aut nequam rerum, si tardiùs prandeas, iacturam facias, aut ne officium, quod tibi obeundù incumbit, negligas; aut ne aliud quodcunque incommodum feras, prandium antecapere licet. Quandoquidem si ob hæc aliâque his similia ieiunium interdum soluere licet, quantò magis cœnæ vel prandij tempus anteuertere? Interim non eorum par est ratio, qui in seram noctem in ediam prorogant, & eorum, qui horam ieiunio soluendo præfinitam insigniter antecapiunt. Nam ne citra causam multùm anticipes, id, vt supra obiter monuimus, lex iubet, ne autem prandium in noctem differas, id non vetat. Imò verò quò diutius cœna differtur, eò meliùs ieiunatur: modò tamen istud non fiat ex aliqua Iudaica, vel Mahumetica superstitione, sed mortificationis & pietatis studio.

Qui imprudentes ieiuniorum tempore manè comedunt, non ob id statim ab illius diei ieiunio liberi pronuntiandi sunt; nam anticipatione illa non obstante, obligantur reliquam diei partem, quantum per vires & occupationes licet, ieiunando producere, Ecclesiæque præcepto satisfacere. Quare si postea quasi violato iam ieiunio denuo prandent vel cœnant, peccant. Verùm si anticipatio illa scientibus vel crassè ignorantibus acciderat, non erit aliquod operæpreium vel illo ipso, vel alio die ieiunare: Siquidem peccatum est iam plenè consummatum, nec fieri potest, vt iam perfectum non sit. Quemadmodum ille quoque qui vnam vel plures ex horis Canonicis recitare omisit, non tenetur illas postera luce repetere: Nam vel studio omisit, & citra causam: & sic iam tum omisionis peccatum incurrit: Vel ex inculpata obliuione, aut grani aliqua occupatione, atque ita multò minùs redintegrare obligatur: Quandoquidem non tenebatur absolutè orare: vel ieiunare (par enim vtriusque est ratio) sed ea tantùm lege, si recordaretur, vel commodè posset.

DE cibo-

Licet tēpus cœnæ vel prandij anteuertere, si iusta causâ id exigat.

Qui prudentes manè comedunt, siue postea totâ diē ieiunio producant, siue denuò cœnent, vel prandent, ieiunium simpliciter soluunt.

Ieiunium vno die omissum, altero die vt compensetur, nullū est operæpreium.

DE ciborum delectu nihil est quod hoc loco addam. Nam quæ ad eam partem attinent, ea copiosè iam antè exposita sunt: solum monuerim non idem esse prorsus, solum esse à ieiuniorum lege & à ciborum discrimine. Quamvis enim communiter à ieiunij lege absoluti haberi soleant, quibus ob causam carniū vsus vel gemina corporis refectio indulgetur, non contra tamen quibus ob causam ieiunium relaxatur, iisdem quoque carniū vel lacticiuniorum vsus permittitur. Neque rursus quibus lacticiuniorum vsus indulgetur, iisdem quoque ieiuniorum vinculum relaxatur: siquidem indultum illud ieiuniorum difficultatem, si qua ea est, non auget, sed eleuat.

CAETERVM causæ ieiuniorum vinculum in totum vel in partem relaxantes sunt permultæ, prout ea quæ per accidens impediunt vel obsunt, nullo ferè certo numero contineri solent. Compendio tamen omnes ad tria vel quatuor capita reduci possunt, nimirum ad impotentiā, necessitatem, pietatem, & iustam legis relaxationem, cui adiungere quoque licet legitimam legis interpretationem. Habent autem duo hæc postrema nō semper locum, sed tū demum cum de tribus, vel de aliqua ex tribus primariis causis dubium aliquod occurrit. Nam cum de impotentia, vel necessitate, vel pietate euidenter constat, nulla opus est dispensatione, aut interpretatione.

IMPOTENTIA à ieiuniorum lege absoluit pueros & adolescentes ad iustum corporis robur & incrementum nondum perductos, quales generatim haberi solent, qui infra vigesimum primum ætatis annum etiamnum degunt. At verò licet Ecclesia ante id tempus ad ordinaria ieiunia absolutè non compellat, lex tamen naturæ rectæque rationis magisterium, non omnes infra vigesimum primum annum cōstitutos, ab omni ieiuniorum onere eximit: siquidem multi ea ætate minores ob succi sanguinisque copiam, internique caloris efferuescentiam, multis sæpe vitis & flagitiis, pro quibus flendum & satisfaciendum est, inuoluuntur, taliq̄ interdum dæmonio occupati tenentur, quod absque ieiunij & orationis flagello non pellitur. Et vt nihil horum vrgeret, vrget tamen interdum tanta Ecclesiæ vel Reipublicæ necessitas, vt operæ precium videatur non modò robustiores ephēborum

A ieiunio absoluti, non semper absoluitur à ciborum delectu & vice versa.

Causæ ieiunium in totum vel in partem relaxantes ad tria primaria capita referuntur.

Impotentia à ieiunio excusat pueros & iuvenes infra vigesimum primum annum constitutos, sed non simpliciter.

rùm teneros quoque pueros, imò ipsa etiam iumenta & pecudes ad ieiunium compellere. Nam & iumentorù quoq; & infantium ieiunia ad diuinam iram placandam vtiliter nonnunquam adhibita leguntur.

QVAMOBREM licet fortè necessarium non sit, eos, qui primum supra vigesimum ætatis annum nondum absoluerūt, compellere, vt omnia Ecclesiæ ieiunia obseruent strictè, at tamen quò durioribus Christianæ religionis legibus paulatim assuescāt: Tum quò precipites illos ad libidinem & carnis illecebras impetus frequentius hoc instructi faciliùs coërceant, & Deo nihilominus pro contractis debitis satisficiant, & contra grauiores tandem lapsus sese cõmuniant, expedit omnino, illos, qui decimum quartum, vel quintum, vel sextum annu excesserunt, inducere, vt ieiunia extra Quadragesimam occurrentia cum cæteris fidelibus communia habeant, ipsam verò Quadragesimam in partem obseruet, semel nimirum aut iterum vel alternis diebus singulis septimanis, per totam Quadragesimam ieiunio operam dantes. Deberent hi autem eò ad plura & grauiora semper ieiunia aliaq; onera subeunda induci, quò ad iustum incrementum accederent propiùs. Nec est vt hinc magnum aliquod roboris detrimentu metuant: Nam si post absolutu decimum quartum annum permulti spõte & inoffensa valetudine vacāt negotiis & rebus, quæ corporis vires multò magis exhauriunt, quàm quæcunq; ieiunia; poterunt profectò citra vllum corporis incòmodum, aut virium præiudiciu semel atq; iterum intra hebdomadam ventri bellum indicere.

EADEM ætatis imbecillitas excusat etiam senes, licet non omnes, sed eos solùm, qui citra virium detrimentum ampliùs ieiunare non possunt. Cæterum quænam ætas veluti iam emerita à ieiunij vinculo absoluat, id certò definiri commodè vix potest. Nam pro varia corporum constitutione, exhaustorumque laborum quantitate, & morborum in primaeva ætate exantlatorum grauitate, alij trigesimo ætatis anno senescunt, hoc est, viribus destitui incipiunt: Alij quadragesimo, alij quinquagesimo, sexagesimo plerique omnes. Quare sexagenarij, nisi compertum sit eius esse roboris, vt citra valetudinis offensionem ieiunium ferre valeant, ieiunare non tenentur. Nam cùm de grandi ætate certò

Ionæ 3.

Qualia ieiunia sint prescindienda pueris cæterisq; ad iustum corporis incrementum nondum adductis.

Senes excusantur à ieiunio, sed non omnes.

Sexagenarij plerique omnes à ieiunij lege absoluti possunt.

t constet,

constet, & de corporis robore res ambigua existat, non est hic expectandus ampliorum virium accessus (præsertim cum in ea ætate virium detrimenta egerimè instaurari soleant) sed præsens corporis imbecillitas salubri frequentique alimento est fovenda & confirmanda: Si qui tamen sexagenarij sunt, qui se communi lege teneri putant, aut quid commodè præstare hic queant, dubitant, illi peritos consulant, illorumque consilio acquiescant.

Mulieres vterique gestantes vel infantes lactantes generatim à ieiunio liberæ sunt, & quare.

Ho c ipso quoque titulo à ieiunij lege eximi solent, mulieres vterum gestantes, aut fœtum adhuc tenerum lactantes. Nam cum eiusmodi fœminæ præter se ipsas infantem quoque, quem gremio vel vtero gestant, nutrire habeant, vnaque vice tantum alimenti sumere sumptumque; commodè digerere non valeant, quantum vtrique; sat sit, non debent ad strictam ieiuniorum rationem adigi, si qua tamè tanti roboris esset, ut citra incòmodum vtrumque præstare posset, illa à communi ieiunantium lege absolvi non deberet. Siquidem immunitas illa à ieiunio non omnibus est concessa, sed tantum impotentibus. At quia rarissimæ sunt, que commodè id possunt, generali quadam ratione omnes inter eos censentur, qui ieiunium ferre non possunt.

Pauperes ceterosque omnes, quos debilitas gradior tenet à ieiunio excusat impotentia.

HÆC eadem demum impotentia excusat etiam pauperes, necessariis alimentis destitutos: siue illi ostiatim panem vel stipem emendicent, siue domi lateant. Tum eos rursum, qui propter *ἀνορεξία*, aut caloris depressionem, vel aliam quamcunque corporis infirmitatem, tantum simul cibi sumere non possunt, vel non audent, quantum natura ut in diem integrum incolumis sustentetur merito efflagitat. Tum eos denique omnes, qui citra aliquid valetudinis detrimentum ieiunium non ferunt. Cuiusmodi inter alios quàm plurimos sunt, qui ob capitis vertiginem, aut stomachi debilitatem, nisi subinde reficiantur, in deliquium vel alios casus facillè incidunt, quæ vacuo stomacho somnum capere, aut noctis frigora superare non possunt: aut vnius diei inediam in plures dies sentiunt. Hos itaque omnes impotentia ipsius impotentie ratione à toto, vel à parte ieiunij absoluit.

AD necessitatem porrò quod attinet, ea illos omnes ab indictis ieiuniis liberat, qui arduis & necessariis laboribus assiduo dis-

rincen-

trahuntur. Arduos labores hoc loco vocamus, qui vna cum ieiunio constare non possunt. Necessarios autem, sine quibus paterfamilias, aut alius quicumque honeste se alere, aut statum tueri, aut filiam dotare, aut filio sumptus ad studia sufficere, aut debitum soluere commodè non potest, siue debitum illud reale fuerit, siue personale, siue etiam coniugale. Siquidem Ecclesia ieiunium instituens publicè illud indicès, illius causa nequaquam vult creditorem defraudatum, familiamue aut statum neglectum, aut aliud quodcumque incommodum constatum.

QUAMOBREM si paterfamilias, aut Reipub. obsequiis mancipatus, aut publicus Theologiae, aut iurisprudentiae, aut medicinae, aut philosophiae, aut alterius cuiuscunque disciplinae professor, aut concionator, aut confessarius, aut pastor, aut viator, aut agricola, aut cementarius, aut quicumque opifex alius, non potest simul id facere, quod ratione officij, status, vel ordinis facere obligatur, & ieiuniū integrè obseruare, inculpate eam ieiunij partem posthabere potest, quam munere suo saluo praestare non valet. Nam, vt modò dicebamus, ieiunia ea seueritate ab Ecclesia non sunt indicta, vt horum causa opera necessaria, iustoque titulo debita, aut omnino praetermitti, aut aequo negligentiùs tractari debeant.

VERVM qui laboribus vacant non admodum grauibus, vt tabelliones, pictores, sartores, &c. vel non admodum necessariis, vt mercatores, qui solius quaestus gratia, nulla rei familiaris necessitate compulsi terra marique iter faciunt, aut alteri cuiquam operi incumbunt: Tum ceteri omnes, qui rebus omnibus ad vitam & statum tuendum necessariis affluunt, non ea facilitate à ieiuniis absoluendi sunt, qua ij, quorum proximè meminimus. Nam etsi utrobique par difficultas vrgeret, quae tamen, vt exempla allata ostendunt, non vrget, vel non semper vrget, attamen non aequa utrobique necessitas vrget. Nihilominus si qui ex horum grege non vulgaris lucri iacturam facturi crederentur, si posthabito ieiunio iter non capefferent, aut operi cuiquam arduo impigre non incumberent, à communi hac lege absolui possent. Quamuis enim istiusmodi lucra necessarium usum non semper habeant, habere tamè possunt: possunt enim in necessarium aliorum usum conuerti.

Qui dicendi sint labores ardui & necessarij.

Ecclesia propter ieiunium creditorem non vult defraudatum, aut statum neglectum.

Multi à ieiunij lege eximuntur propter arduos & necessarios labores.

Laboribus parè grauibus & necessariis intenti à ieiunij lege non absoluntur, etià si quandoque absolui queant.

SED neq; probabile fit quoq; Ecclesiam tanta seueritate indicta ieiunia vrgere, vt quenquam illorum causa graue aliquod damnum accipere velit, vel lucrum non contemnendum amittere. Coniecturam huius rei ex insigni illius clementia & sapientia, aliisque eiusdem legibus & sanctionibus facere licet. Constat enim, Christianum hominem non minus obligari ad obseruationem festorum quam ieiuniorum, sed certa quadam ratione magis: Siquidem multi ob priuatam vtilitatem vel publicam necessitatem excusantur ab obseruatione ieiuniorum, qui simili necessitate vrgente non absoluerentur à festorum obseruatione. Atqui festi religione non obstante, ne quis graue rerum detrimentum accipiat, aut insigne aliquod lucrum deperdat, festo die laborandi copiam facit; cur ergo, si quid eiusmodi vsu venerit, ieiunium soluere non permittat?

Facilis Ecclesia dispensat in precepto ieiunij, quam festi.

QVOD si spes lucri diuites à ieiunij obseruatione nonnunquam excusat, multò sanè magis eos ab hac lege excusabit, qui simul ieiunare & ea præstare non possunt, quæ ad tuendam famam, vel familiæ incolumitatè sunt necessaria. Sunt enim hæc illis multis partibus præstatiõra, & quæ defendantur multò digniora. Porro quod de nullius rei necessariè egentibus negotiatoribus paulò antè dictum & exceptum est, hoc ad similes fortis, hoc est, pro conditionis suæ ratione diuites mercenarios trahi quoq; potest. Quare si cui operam suam locare visum fuerit, debent laborem ita moderari, vt opus diurnum vnà cum ieiunio tolerare valeant, hoc est, debent minus laborare & minus rursù diurnæ mercedis loco exigere. Minus autè rectè facerent, qui citra causam, aut vrgentem necessitatem eiusmodi conducere nollent, nisi ieiunium soluerent, opusque diurnum, quod extra ieiuniorum tempora præstare soliti erant, integrè explerent. Si tamen necessitas operis festinationem exigeret, neq; alios ad manum haberent, possent conductores suo iure vti. Sed neq; mercenarios quoq; grauioris noxæ damnare audeant, si quod de laboris & mercedis ieiuniorum tempore diminutione dicebatur, non accuratè semper obseruent. Consultius tamen faciunt, qui Ecclesiæ statuto morem gerunt.

Quos pietas à ieiunio absoluat.

PIETAS eos oēs à ieiunio excusatos habet, qui simul ieiunare, & munus illud obire, vel opus præstare non possunt, quod ex se maioris momenti, maiorisue necessitatis vel vtilitatis est, quam ipsum ieiunium.

ieiunium. Quapropter si fidei mysteria rudibus tradere; grauitè afflicto in sua afflictione solari; lecto affixis necessaria administrare; mortuos sepelire, vel, vt sepeliantur, curare; carceri mancipatos redimere; fame, siti, frigore, vel alio incommodo pereuntibus vel periclitantibus opem ferre, peccatorum confessiones excipere, sacramenta administrare, ceteraque necessaria misericordiae opera, vel charitatis officia exhibere, & ieiunia ab Ecclesia indicta vnà cum his seruare non valeo, teneor hæc illis posthabere, vt quæ tantum præstent ieiuniis, quantum charitas morali abstinentiæ.

VIDETVR hic tamen inter eos secernendum, qui ex officio vel pacta mercede hæc opera præstant; & eos, qui solo charitatis igne inflammati absque vlla caducæ mercedis spe aut pactione in eiusmodi pietatis muniis sese occupant. Inter eos rursum, qui urgente necessitate hæc obeunt, eò videlicet quòd nemo adsit, qui obeat, vel egentibus opem ferat; & eos, qui citra vllam necessitatem vltro in isthæc sese ingerunt. Inter eos demum, qui hac occasione à ieiunij molestia callidè eximere sese satagunt; & eos qui vtrumque libenter præstarent, sed quia per vires id non possunt, alterum, quod secundùm se excellentius iudicant, Deoque acceptius fore sperant, citra fraudem suscipiunt. Nam vt de aliis nihil dicam, non sit probabile, iustum iudicem eos ab ordinariis ieiuniis liberos censere, qui citra vllam necessitatem in istiusmodi munera sese ingerunt; aut nihil aliud, quàm caducam mercedem, cum alioqui non indigeant, aut molestiarum, quæ ieiunia adferunt, excusationem quærunt. Secus de iis censendum, qui ex instituto solius DEI honorem proximique vtilitatem præ oculis habentes hæc præstât, esto secundariò & quasi per accidens aliquod etiam emolumentum inde ad se redeat.

Ex hac pietatis munia obeuntium distinctione planum fit quoque, non omnes promiscuè, qui religionis ergò peregrinantur, à ieiunij lege absolui, sed eos præcipuè, quos vera pietas, vel vrgens Ecclesiæ aut Reipub. necessitas ad hoc impellit. Inter hos autem primus locus iis meritiò tribuitur, qui pro communi patriæ, Ecclesiæ, vel Reipub. salute, pace, vel tranquillitate id faciunt, præsertim si per alium id commodè fieri non queat, vel certè non

Inter eos, qui pietatis opera obeunt, plurimum intercedit; quare pietatis ritulus non omnes à ieiunio eximit.

Triplex peregrinationis ratio, & peregrinantium gen., qui omnes à ieiunio absolui possunt, si simul ieiunare & iter facere non queunt.

æquè commodè. Neq; enim parum refert cum ad impetrandum id, quod petitur, tum ad communem quoque populi pietatem & deuotionem excitandam, hinc an ille, hoc est, illustrisne publicæ persona legatione ad diui cuiuspiam monumentum fungatur, an vilis & abiecta. Proximus illis assignari potest, qui tanto animi feruore ad loca sacra visenda feruntur, vt probabilissimum sit, longè maiora spiritus præsidia ex eiusmodi peregrinatione hausturos, quàm ex ieiunij obseruatione: Siquidem non est mentis Ecclesiæ maius bonum, siue id publicum fuerit, siue priuatum, per minus bonum impedire. Postremus illis, qui peregrinationis voto obstricti, extrinseca quadam necessitate tempore, quo et lege ieiunatur, ad peregrinandum vrgentur; siue necessitas illa inde proueniat, quòd tempus, quo votum exoluere oportet, iam instat; siue ex eo, quòd commodus itineris comes sese offerat; siue ex eo, quòd alia quæcunque commoditas ad hoc inuitet. Qui tamen vtrumque simul præstare possunt, quacumq; tandem ratione possint, pietatis titulo à ieiunio nõ excusantur; multò verò maius illi, qui vana quadam curiositate eum laborem suscipiunt.

Quæ causæ vxores ieiunare alio qui valentes à ieiunio absoluant.

Hoc pietatis titulo excusare licet vxores, quas duri mariti ieiunare non sinunt. Nam etsi magnum bonum sit ieiunium piè obseruatum, maius tamen est pax domestica, animorumque consensus, & mutua coniugū inter se beneuolentia. Quare si vtrumque obtineri non potest, hoc illi anteferatur; maxime verò cum non desint causæ & modi, quibus violati ieiunij damnum sarciat. Et quod de ieiunio hoc loco dicitur, hoc, iis præsertim in locis, vbi hæreses & schismata publicè obtinent, ad ciborū delectum transferri posse videtur; modò tamen vis aliqua adsit, & omnis profusus legis contemptus desit. Nam si improbus & in hæresi obstinatus maritus in Catholicæ religionis contemptum orthodoxam vxorem, filium, vel filiam ad carniū esum adigere vellet, fortissimo constantissimoque animo sacrilegis eius conatibus obfistendum foret. Meminisse enim hinc oporteret illud CHRISTI: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo.* Item: *Qui patrem amat, aut matrem, aut filium &c. quàm me, non est me dignus.* Denique non illi solùm à ieiunio excusantur, qui causam prætermittendi ieiunij verè piam vel iustam habent, sed illi etiam qui bona fide

Matth. 10.

fidepiam vel iustam habere se putat; esto fortassis fallantur. Nam qui ita affecti sunt, illi per se contra præceptum non agunt: sed tantum per accidens.

PORRO autem ad huius relaxationem legis vel interpretationem quod spectat, si de impotentia, vel necessitate, vel pietatis ratione certò constat, nulla, ut nuperrimè dicebamus, opus erit, aut superiorum gratia, aut eruditorum interpretatione: Quod si verò de vna aliqua ex tribus dubium occurrat, illos in consilium adhibere conueniet, qui rei, de qua quæstio est, sint gnari; & morum innocentia vitæq; probitate commendati. Quòd si eiusmodi non habentur, vel habiti propositum dubium nõ resoluunt, conueniatur superior, si aditus ad illum patet, illiusque sententiæ stetur; siue absolutè super lege dispenset, siue opus per legem imperatum in aliud permutet. Quod si superioris sententiæ exquiri nõ potest, neque eruditi super dubio consulti absolutè respondent, illud sequare, in quod illi magis propendere, vel quod rationis lumen magis suadere videtur.

VIRI autem, quos infra ordinarium super hac controuersia consulere licet, sunt proprii parochi muneris sui non ignari; Medici eruditi religiosoque pectore præditi; Theologi Theologorum appellatione non indigni, & alij deniq; omnes, in eiusmodi rebus probè exercitati. Neque enim opus est in casibus vsq; adeò frequenter occurrentibus ordinariũ semper adire, etiam si citra magnam difficultatẽ adiri & consuli queat. In grauibus tamẽ & illum ipsum & summum quoq; Ecclesiæ Hierarcham conuenire oporteret. Verum siue Papam, siue Episcopum diocesanum, siue alium quemcunq; publica autoritate præditũ gratiæ impetrandæ causa adeas, iustam dispensandi causam adferas necessarium est.

FATENDVM est tamen, si Pont. Max. citra causam cum aliquo super hac vel alia lege, quam ipse cum causa in totum vel in partem abrogare potest, dispensaret, dispensationem suo robore non carituram. Nihilominus propter scandalum, quod eiusmodi dispensatione infirmis fortè pareret; tum propter aliqualem quoq; iniuriam, quam temerè dispensando Apostolicis cõstitutionibus irrogaret, minùs prudenter faceret, si id faceret. Ea propter licet summi pontifices in Apostolorum decretis, vniuersaliumque

Syno-

Quando opus dispensatione, aut legis interpretatione & quando non.

Qui sint consulendi, occurrente dubio de lege ieiunij.

Iusta legis relaxatio in illam causam deposit.

Pontifices in legum relaxatione sobrios & cautos esse oportet.

Synodorum sanctionibus, quæ ad fidem vel Sacramentorum integritatem, vel ad vniuersales Ecclesiæ traditiones, generalisue eiusdem ritus & consuetudines non pertinent, pro potestatis suæ plenitudine dispensare valeant; at tamen absque urgentibus causis in his dispensare communiter non solent.

POST pontificem maximum in ieiunio dispensare possunt locorum ordinarij, generales ordinum vicarij; imò singuli ferè Ecclesiarum, Collegiorum, vel monasteriorum rectores. Nam, ut proximè dicebamus, casus eiusmodi occurrunt frequentius, quam ut omnes ad Papam vel Episcopum deferri queant. Cùm hæc ergo facultas in inferioris ordinis Prælatos conueniat, si quando à subditis interrogantur, sitne hæc vel illa causa satis idonea prandium anticipandi, vel cœnam sumendi, vel non ieiunandi, vel omnibus promiscuè vescendi, nõ debent respondere, hoc se illorum conscientias relinquere, sed vel paternè dispensare, aut quid opus sit factò, disertè exponere, aut onus ieiunij, quod hoc ipso deprecari videntur, quòd consilium petunt, in aliud pium opus commutare.

AT videndum est tamen, & diligenter expendendum, quam adferant causam, qui dispensationem aut legis interpretationem, aut iniuncti operis in aliud opus permutationem petunt. Neque enim illi causam satis legitimam adferunt, qui maiores carnis stimulos se experiri exponunt, dum ieiunant quàm dum cœnant. Nec illi rursùm, qui propter helluandi consuetudinem difficultè inediam se ferre conqueruntur. Nec illi tandem, qui illos, quibus cum viuunt, vel inter quos agunt, Ecclesiæ ieiunia nihil curare causantur. Siquidem nihil horum omnium per se adducit ad malum, aut eam adfert difficultatem, quam homo, si strenuè pugnare velit, expugnare non valeat. Adferunt hi tamen eiusmodi causam, propter quam, si aliæ quoque iustiores accederent, facilius cum ipsis dispensari possit.

IAM si gulæ ventricule dediti, aut improborum helluonum contubernio adiuncti, à ieiuniorum lege, si aliàs ieiunare valent, exempti non sunt, nec ea tantùm de causa iure eximi inde possunt, multò minùs illi eximi hinc debent, qui pro causa suam allegant iustitiam vel perfectionem. Nam etsi istiusmodi verè id essent, quod

Quomodo Prælati Episcopo inferiores in ieiunij relaxatione procedere debeant cum suis subditis.

Qui ieiunij relaxationem petunt, causas non quasvis, sed iustas adferant oportet.

quod se esse proutentur (quod tamen verisimile non fit: quando-
quidem viri perfecti & iusti suam iniustitiam & imperfectionem
accusare solēt familiarius, quā suam iustitiam vel perfectionem
vendere) adhuc D. Paulo, qui crebris ieiuniis & vigiliis corpus
suum castigabat & in seruitutem redigebat, non sunt sanctiores;
neque Angelis, qui in peccatum prolapsi sunt, firmiores. Nam si
iustus septies cadit in die, non est quod eiusmodi de constanti sua
iustitia multa sibi polliceatur. Imò verò si iusti sunt, hoc ipso pro-
pter gratiam, quam præ cæteris ampliolem sortiti sunt, & aliorum
ædificationem, legem perfectius seruare obligantur. Nam si
iusti legem non seruant, quid expectandum est ab impiis & pec-
catoribus?

SED nec illos quoque, qui verè iustam dispensationis causam
adferunt, à toto statim ieiunio absoluere oportebit, sed ab ea tan-
tū parte, quā citra priuatum aut publicum aliorum detrimē-
tum præstare nequeunt. Neque si à toto fortassis superior absol-
uat, totam mox gratiam admittere conueniet; sed hætenus tan-
tū, quatenus priuata vel publica utilitas vel necessitas illud effla-
gitat. Ratio huius est manifesta: nam qui iusta necessitate com-
pulsus à lege vel regula recedit, ille iustam excusationem habet,
qui autem voluntariè & citra necessitatem id facit, apertè contra
legem committit. Igitur qui ob causam iustam vel necessariam,
quā habet vel habere se putat, plūs à lege vel regula declinat,
quā causa vel necessitas postulat, ille in illo ampliori, neque ius-
tè neq; necessariò exorbitat, sed iniquè & voluntariè; & per con-
sequens in eo ampliori peccat, vt qui in illo nullam iustam exor-
bitandi causam habeat. Peccat hic, inquam, si rem secundū se
spectes. An autem extrinsecè propter imprudentem dispensatio-
nem liberetur à peccato, id nos hoc loco in medio relinquimus;
viderint, qui talibus dispensationibus sibi blandiuntur.

QUAMO BREM' si corporis infirmitas, aut capitis debilitas, aut
laboris assiduitas, crebriorem sibi sumptionem exigit, nō tamen
carnium aut ouorum vsum, non licebit eiusmodi ægris, aut inua-
lidis, aut operariis carnibus vesci. Contrà verò si eiusmodi malo
vel morbo teneris, qui peritorum medicorum iudicio carnium
vel ouorum vsum efflagitat, non tamen crebram corporis refe-
ctionem,

Nulla iustitia vel
perfectio absol-
uit à lege ieiunij.

Qui ieiunij legē
relaxant, nō de-
bent totam rela-
xare, sed eam tan-
tū partem, quā
supplex ferre nō
potest.

Potest ciborum
delectus relaxari
absq. ieiunij rela-
xatione & vice-
uerſa, si necesſi-
tas id poſtulat.

Quilibet indi-
cto ieiunio præ-
ſtare debet, qd
potest, quodcum-
que eadem illud
ſit, ab eo autem,
quod nõ potest,
remiſſionem im-
petrare.

Imprudencia
quorundam de
ieiuniorum ſolu-
tione loquentiũ.

tionem, licebit tibi carnis vel ovis veſci, non tamen ſæpius interdiu comedere: modò tamen, quantum corpori ſuſtentando ſat eſt, vna ſimul vice ſumere, commodèq; digerere poſſis. Fateor tamè, qui eius conſtitutionis vel debilitatis ſunt, vt citra carniũ eſum vitam tolerare omnino non queant, eos communi quadam ratione à ieiunij lege liberos cèferi; poſito nihilominus, in horum albo comperiri, qui cum carnis ieiunij legem ferre poſſunt, abſque illis attem non poſſunt, debent hi cum cæteris indicta ieiunia ſeruare & carnis veſci.

RVRſVM ſi quotidie per Quadrageſimam ieiunare non va- les; vales tamen alternis diebus, vel ſemel aut iterum intra ſepti- manã, obligaris alternis diebus, vel ſemel aut iterum hebdoma- datim id laboris ſubire. Pari modo ſi tẽpore veſperino, modico cibo ſumpto, ſiue id panis ſit & vinum, ſiue terre vel arborum fru- ctus, ſiue aliud quodcumque eiufmodi, ieiunium continuare po- tes; eo autem ſuſtentaculo deſtitutus continuare non potes, de- bes veſperi aliquid ſumere & continuare ieiunium. Sic ſi vſque ad meridiem inedia ferre potes, non tamen uoſtu dormire, aut caleſeri, niſi cœnulam, hoc eſt aliquantum plus ſumas, quàm per- fecti ieiunij ratio permittit, licebit tibi veſperi cœnulam ſumere, non tamen ante ſextam vel nonam prandere. Idem de cæteris ſi- milibus caſibus ſtatuatur; ſunt enim eiufmodi frequentiſſimi, ne- que poſſunt omnes commodè aſſignari.

CONSTAT hinc, cum corporum tum animarum quoq; me- dicos cautos hinc eſſe debere: ne videlicet, vbi neceſſitas vnum tã- tum aut alterum cõcedi flagitat, ibi omnia indifcriminatim con- cedant. Debent enim id ſolum indulgere, quod infirmitas vel ne- ceſſitas poſtulat, & non amplius. Aut ne, vbi vnum propter neceſ- ſitatem indulſerunt, ibi totum reliquum damnent, aut veluti in- utile reſpuant. Comperiuntur enim inepti quidam, qui ex vno aut altero patrum dicto, quod non intelligunt, pronunciare audent; qui vnum Quadrageſimæ diem non ſeruunt, eos totius violatæ Quadrageſimæ reos fieri; tum qui ita comparati ſunt, vt ieiunare nequeant, niſi veſperi aliquantum plus quàm communiter con- ſuetum eſt fieri, ſumant, illos à totius Quadragenarij ieiunij vin- culo liberos eſſe. Sed vtrumque inconſultè & pernicioſè. Incon- ſultè

sultè quidem, quia contra rectè rationis dictamen, communemq; doctorum hominum sententiam. Perniciosè verò, quia ineptiis suis quandoque efficiunt, vt hi, qui nihil aut modicum omnino peccaturi erant, peccent sapius & grauiùs. Patet ex his ergo, non omnes, qui ieiuniorum legem violant, vel non integrè seruant, noxæ semper affines fieri.

QVÆ de ieiunio hoc capite & alibi exposuimus, ea planum faciunt, ieiuniorum legem multis hoc tempore partibus leuiorem, obseruatúq; faciliorem esse, quàm erat Apostolorum & martyrum, imò etiam atauorum & abauorum nostrorú ætate. Olim, vt ex Basilio Magno, Bernardo & aliis Patribus suprâ audiuius, nulla ætas, nullus sexus, nulla hominum conditio à ieiuniorum lege eximebatur; nunc tam multi ab hac regula excipiuntur, vt vix minima Christianorum pars maneat reliqua. Olim potior totius anni pars ieiunio erat consecrata (nec enim veteres contenti erant ieiunio Quadragesimali, cæterisque per anni circulum occurrentibus; verùm, vt suprâ demonstratum est, singulis septimanis ter ieiuniis operam dabant, nimirum sabbato, profabbato, & feria quarta) nunc verò minima: Siquidem ieiunia illa singulis hebdomadibus recurrentia & alia præterea complura, penitus in desuetudinem abierunt, hoc solo excepto, quòd sabbato & profabbato & quibusdam locis feria quarta à carnibus adhuc abstinetur.

OLIM ieiunium producebatur vsque ad vesperam vel nonam diei horam; nunc plerisque in locis horam vnam ante meridiem cœnatur. Olim, quòd ieiunia tardè admodum soluerentur, noctu nihil quicquam sumebatur; nunc vesperi passim aliquid, & alicubi satis multum sumitur. Olim ieiuniorum diebus non modò à carnibus, ouis, caseo, cæterisque lacticiniis abstinebatur, verùm etiam à vino & pinguioribus piscibus; nunc nullum pisculentorum, aut poculentorum genus excipitur, & multis præterea locis, ouorum & lacticiniorum vsus permittitur. Olim adesse debebant non vulgares causæ, vt cum aliquò super ieiunio indiçto dispensaretur, neque tunc quoque ieiunium tam relaxabatur, quàm in aliud pium opus permutabatur; nunc leui sæpe de causa ieiunij vinculum relaxatur;

u 2 neque

Ieiunij hac ætate multis partibus facilius, quàm erat olim.

Quantum intercedat inter modernum & veterum ieiunij breuis notatio.

De conf. d. i.
solent.

neque frequenter admodum ieiunij loco aliud opus iniungitur. Olim tandem eleemosynę, preces, aliąque eiusmodi pietatis officia ieiunio adiungebantur, ieiuniumque illis comitibus destitutum pro nihilo ferę ducebatur. Nunc istę appendices ieiuniorumue comites æquę atque ieiunium ipsum apud plerosque plus satis frigent.

CUM tantum ergo à prisca illa seueritate & perfectione degeneratum sit hoc tempore, vt ieiunium nostrum cum priscorum ieiunio collatum, moralis abstinentię rationem quandoque vix assequatur, non modò morosos ingratosque sese ostendunt, qui de ieiuniorum onere queritantur & murmurant, sed graui quoque noxa sese cõtaminant, si citra causam ea violant, vel minüs quam par est religiosę obseruant. Verùm de ieiunio eiusdemque vi, partibus, & peristasis satis; proximum est, vt de oratione nonnulla quoque in medium adferamus.

L A V S D E O.



D E